METHODVS DIGNOSCENDORVM MORBORVM,

PRIMVM QVIDEM TRADITA AB Argenterio, deinceps autem exemplis multis ex veteribus medicis, & recentioribus desumptis adaucta.

Authore Francisco LE THIELLEVX, Andino doctore medico, apud Nannetes medicinam faciente.

Ad dignissimum Senatum Nannetensem.

PATIENTIA ET LABORE.

NANNETIBVS,
Ex officina Ioannis Gaudin.
M. D. LXXXI.

ORNATISSIMO
ET ILLVSTRISSIMO SENATVI NANNETENSI, FRANCISCVS LE THIELLEVX Doctor medicus.
S. P. D.

QVEMADMODVM qui per ſtationem aliquam & per media caſtra iter facturus eſt (patres conſcripti) nobilis cuiuſdam militis rerumque à ſe geſtarum gloria excellentis fauorem ſibi demereri ſolet, vt eius ope & tutus incedere, & quo velit ſaluus atque incolumis peruenire poſsit: ſic ego methodum dignoſcendorum morborum diligentia mea variis ex authoribus collectam in lucem edere à nõnullis perſuaſus, ac proinde ſeuero omnium judicio committere, ad vos veſtramq; omnium beneuolentiam confugiendum mihi putaui, vt meus hic labor tum in ditionem redactus veſtram, tum veſtra authoritate fretus, mitius multo omnium judiciũ minuſq; regidũ experiri queat. Cum enim partim ob incredibilem multarũ atque magnarum rerum cognitionem, partim ob ſummam in dirimendis litibus æquitatem, partim denique ob admirabilem in puniendis ſontibus & iuſtiſsimam ſolertiam non dico in ducatu Britaniæ, ſed in tota Gallia veſtræ omnium laudes ab omnibus celebrantur: quis quæſo noſtrum hunc libellum fauore auſpicioque ordinis veſtri prodeuntem in lucẽ hilari mente ac beneuolo animo non exceperit? Quod cũ apud me cogitarẽ hos noſtrorum laborũ primos fructus vobis omnibus dedicare volui: atq; vt hoc facere auderem veſtra in nos noſtramq; facultatem medicam & benigna & propenſa voluntas inuitauit me ac impulit. Nam hac in vrbe quotquot medicinã profitentur (profitentur autem multi) opera ac diligentia veſtra, nõ ſolũ in magno honore & ſunt & fuerũt, ſed etiã prærogatiuis põtificali regiaq; magnificẽtia conceſsis, & immunitatibus gaudent. Ex quo factum eſſe puto, honos alit artes, authore Cicerone, & omnes incedũtur

ad studia gloria, iacentq; ea semper, que apud quosq; improbantur) vt nullos medicos vnquam habueritis (quod arroganter dictum esse nollem (nisi eruditione & scientia claros nullos pharmacopeos, nisi bonos, & artis suæ peritos, nullos chirurgos nisi diligentes & imprimis expertos, quorũ quidẽ singuli tanta semper industria tantaq; excellentia fuerunt, vt nullos omnino quos illis præferas, & quos cum illis cõferas paucos admodũ reperire possis. Vt igitur vobis imperantibus tota hæc ciuitas à multis annis in facultatẽ medicam beneuola fuit & liberalis: sic in eam confluxit semper virorũ summorum non paruus numerus, qui in vestrã omniũ vtilitatẽ singulas medicinę partes excolerent. Ac mehercule huiusmodi magni & excellentes viri vrbẽ hanc Nannetẽsem nunquam derelicturi sunt & ex ea aliò migraturi, si eam gratam semper & beneficã esse perceperint, presertim si illius ipsius beneficẽtia vniuscuiusq; meriti rationẽ habuerit. Neq; hoc à me perperam dictum esse aliquis vestrum existimare debet. Etenim si hîc maximus applausus ignaris tribuatur medicis, doctis vero laudis minimum deferatur haud dubiè optimus quisq; & peritissimus medicus hinc discedet, huc vero tantum conuolabunt, tum imperiti, tum nomine tenus medici. Hoc autem malum vt à vobis & à tota ciuitate longe propellatur, facultatem nostrã pro vestra liberalitate semper conseruabitis, & pro vestra prudentia tanti vnumquemque facientis, quantum in eo præstantiæ fuerit & doctrinæ. Qua quidem de re pluribus vobiscum agerem, nisi vererer ne vobis molestus essem longa mea oratione, & nisi vestræ omniũ sapientiæ diffidere viderer. Quare vt iam finem faciam, vos omnes rogo atque obtestor, vt hunc primum ingenij nostri fœtum, spectatissimo, dignissimoq; vestro clarissimorum virorum cętui consecratum, non solum approbatione vestra exornare, verumetiam tanquam patroni boni & tutores, ab omnibus omniũ maleuolorũ iniuriis vindicare dignemini.

DEVS OPTIM. MAXIM. vos omnes vestrumq; ordinem diutissimè conseruet ac tueatur.

VALETE.

PRAEFATIO.

OMNIVM ingenuarum artium quarum finis non ſolum actione ſed etiam opere cernitur,nullā puto aut dici aut excogitari poſſe minus variam minuſq; mutabilē facultate noſtra medendi. Ac ne quis arbitretur hanc meam opinionem nullo modo cū veritate eſſe coniunctam, medicinæ pręceptiones certas eſſe minimeq; inſtabiles propoſitæ aliquot à me rationes & argumēta omniū oculis clarum efficiēt. Primum enim magnā eſſe medicæ artis certitudinē hinc patet quòd eius pręcepta eadem ſint apud omnes quodq; illa ipſa vix ac ne vix quidē immutari contingat vlla aut temporum varietate,aut locorū diſtentia. Eam ob rem quæ fuit medendi ratio primis omniū ſeculis ac temporibus doctiſsimis viris vſitata, eadem ab optimo quoque medico & vſurpatur hac noſtra tempeſtate, & in poſterum vſurpabitur quandiu morbi vlli humanum corpus ſunt obſeſſuri. Nec certè modus conſtituendæ morborum naturæ in aliis atque aliis regionibus alius atq; alius eſſe ſolet,cum omnes medici ſiue lingua diſsimiles,ſiue locis diſiuncti ſint, tum in affectis partibus, tum maximè in efficientibus cauſis ſitam agnoſcant morborum ipſorum eſſentiam. Siquidem ex illis duobus cauſarum generibus vbique locorū ac gentium,morbus ipſe cōſtituitur, & idcirco illorū morem ac proprietatem redolet ſemper. Quod quidem nemini mirū videri debet & abſurdum. Etenim vt cauſa morbū gignit ſiue intemperie ſua, ſiue putredine, ſiue corruptione, ſiue exuperātia, ſiue agitatione, ſiue defluxione, ſiue craſsitię ſiue tenuitate, ſiue lentore, ſiue acrimonia, ſiue duritie, ſiue mollitie: ſic lędit morbus partiū affectarū temperiem, magnitudinem, conformationem, connexionem, numerum, ſitum, vſum & actionem: ſed & à morbo tum qualitates immutātur quæ in ipſis partibus ſunt, tum læduntur facultates cauſæ actionum proximæ, tum opera vitiantur à partium actionibus prodeuntia. Atque hæc contingunt in omni tempore &

omni loco, illisq; ipsis, vt & cęteris ad medicinã spectãtibus nulla, vel locorum vel temporum varietas incõstantiam adfert atque immutationem. Quòd mehercule & in omnibus generalibus pręceptis, & in multis specialibus tam verum est quàm quod verissimum: quæ vero maxime specialia sunt, ea etsi non omnino ob materiã quam propius respiciunt, at magna ex parte firma stabilia & certa esse reperiuntur. Quòd autem naturę principiis nitatur medicina ipsaq; à Deo procedat, primo ac summo rerum authore, iuxta illud sapientis ab altissimo est medicina ea sanè mutabilis & incerta esse nullo modo potest: cũ & natura cõstans sit & nulla in Deum cadat vicissitudinis mutationisq; obumbratio, & effectuum conditio ea existat, vt causarum suarum vim & proprietatẽ, constantiamq; & inconstantiam illi sortiantur. Itaq; optimo iure medicinæ theoremata certa atque immutabilia & sunt & dicuntur, leges vero incertæ & variæ. Hæ siquidem, quia principis voluntate feruntur, non solum in prouinciis multis sub diuersis principibus, sed & in vna sub eodem principe aliæ atque aliæ esse solent: quandoquidem vt reges multi quàm sæpissime diuersas voluntates habent, ac dissimiles: sic plerũq; eundẽ contingit aliud atq; aliud velle. Certitudinẽ artis medendi & constantiam haud paruã esse ex hoc etiam intelligere licet, quòd multi iique omni doctrinarũ genere excellentes viri eam excoluerint quòd eam approbarint optimæ quæque respub. quod denique cuiusuis conditionis homines & fortunæ atque adeo reges ac imperatores eam sint amplexati, & se illi vltro dediderint. Etenim quod incertum est ac inconstantia plenum, id neque docti viri profiteri volunt, neque pollitiæ bene constitutæ recipere, & se eidem submittere iusta ratione omnes renuunt. Est igitur certa & constans ars medica, verum multi ex medicis inconstantes sunt & incerti. Nam vt impresentiarum vno tantum vtar exemplo, si quando plures medicos de morbi alicuius, dignotione deliberare oporteat, nõ raro vel de specie morbi, vel de eius differẽtiis, vel de causis efficientibus, vel de locis affectis vel de tẽporib⁹ dissentire eos cõtingit ac discrepare.

Cuius quidem rei duas potissimum causas esse opinor, ignorantiam videlicet & ignauiam. Qui enim sunt ignari medici vix vnquã à signis proprijs distinguere possunt communia, atq; hęc pro illis vsurpãtes vt plurimũ in dignoscendis morbis hallucinantur ac cęcutiũt. Qui verò ignaui sunt & segnes quæcunque ab authoribus scripta esse vident, illis quidem ipsis quamprimum astipulantur, nec ea veranè an falsa sint ratione & experiẽtia examinare volunt. Quapropter vt à diuersis authoribus diuerso modo collecta sunt morborum signa, ab aliis quidem exactiùs negligentiùs verò ab aliis, sic qui ab alienis scriptis toti dependent medici, ij certè in inuestigandis morbis occupati sæpe in varias opiniones ac sententias ferri solent. Hoc autem animo reuoluẽs meo, ac mihi persuadens vel paruum errorem in dignotione patratum, in remediorum administratione magnum esse: equidem cum mihi tum ægris, qui me ad sui curationem accersituri sunt vtilissimum fore putaui, si apud probatos authores certam ac verã dignoscendorũ morborũ methodum perquirerem. Quam cũ apud Argenteriũ reperissem, eã multorũ exẽplorum, tum ex veteribus tum ex recentioribus medicis decerptorum accessione illustraui, vt me hoc exercitij genere ad notitiam morborum diligẽtiorem redderem ac paratiorem. Hunc meum laborem quidam & in primis doctus & mei amãtissimus medicus in museo meo forte perlegens, suadere mihi cœpit, vt eum in lucem ederem, atque vt librario typis excudendum traderem iterum atque iterum me hortatus est. Nam tametsi variis ex libris cõtexta sit hæc methodus & confecta in eaq; multi loci multorũ authorũ in vnũ conglobati sint & collecti, eã tamẽ nec ingratã fore, alicui & multis medicinę tyronibus profuturã iureiurãdo mihi affirmauit. Quod cum meis crebro inculcaret auribus, ac me de eodẽ frequenter cõueniret, eius admonitionibus me breui satisfacturũ promisi: si tamẽ prius domino Roguesio Nannetensis medicæ facultatis Decano, totum hoc communicarem negotiũ. Cum enim ille & in singulis philosophiæ partibus summus existat, & in vnaquaque medicinæ parte prope diuinus

(eum profecto inter ducatus Britaniæ medicos, vt solem inter astra elucere splendereq; lubẽs dixerim) ipsius equidẽ tum censuram subire, tum approbationem expetere non erubui. Ille igitur ita probans hunc nostrum laborem vt dignum esse duxerit quem in pub. proferre oporteat, alterius medici consilio illico subscripsit, sicque victus eius authoritate, & illius amica monitione impulsus primum hunc de morborum dignotione librum in lucẽ edere non recusaui, alterum quidẽ de prænotione, & tertium de administratione remediorum (fauente Deo) postea editurus.

IOANNIS BOVCHER VTRIVSQVE. Iuris Bachalaurei in authoris & operis commendationem.

DECATETRASTICON.

Qvi cupit optatam medices contingere metam
  Huc veniat phisicus, tum tua scripta legat.
Artem comperiet miro cum dogmate clausam,
  Quà multis posit iure prodesse viris.
Quæ tot sparsa locis fuerant tu scriptor in vnum,
  Sedulus instar apis cuncta referre paras.
Hipocratis nomen claris virtutibus æquas
  Vix finis ingenium nobilitate premi.
Nec facile iuuenio multis è milibus vnum
  Cui valeas animo cædere, virtus obest.
Nocte dieq; colis musas & Apollinis artes,
  Pluribus hinc medicis anteferendus ades.
Zoilus hæc nescit, quid si sciat? ista tacebit.
  Nunc abeas igitur zoile, salue liber.

¶EX VARIIS MEDICINAE PARTIBVS, EAE NON POSTREMVM locum occupant, quæ morborum curationi præsunt.

Cap. I.

ARTIS medendi multas esse partes, earumq; alias ad theoriam, alias ad praxim attinere, vno ore, & vna voce, medicorum maior pars affirmat. Ac quæ praxeos esse dicuntur, quæq; actionibus quas medici obire solent destinatæ sunt (vt quæ sunt theoriæ partes tacitus præteream) earum enumeratione hac apta diuisione Argeterius cōplectitur. Ex medicinæ partib⁹ (inquit) aliæ corporis statum conseruant, aliæ in eo immutādo consistunt, aliæ verò partim tuentur, partimq; ipsum mutant: Primi generis partes vt conseruatrices appellantur, sic duæ esse dicuntur salubris, & euectice: Quæ verò ad mediū genus attinent, earum vna expellendis morbis præest, altera causas tollit quæ morbos fouet, tertia symptomatum vehementiam obtundit. Prima curatrix, secunda prophilactice, postrema mitigatoria ab Argenterio esse perhibetur. Verum has tres partes, quoniam & vt plurimùm in vnius ægri curationem simul concurrunt, & ex iis vna sine aliis plane manca est, vel dilatata nominis significatione, curatrices appellari paterer nō inuitus. Tertij generis partibus tum conualescens, tum senile, tum jam in morbos cadere paratū corpus subiicitur, vnde tres partes analeptice, gerocomice, prophilactice, constituuntur. Ex his omnibus partibus (nedum ex aliis quæ ad theoriā spectant quippe earum laus in curatione consistit) quæ in mutando sitam vim suam habent, pertinentq; ad cura-

Diuisio medicinę.

Commentario I. in artem medicinalem Galeni.

Medicinæ sub diuisio.

tionem morborum, eæ præ reliquis omnibus necessariæ esse videntur ad vitæ conseruationem, & vi sua ac antiquitate ipsi arti nomen indiderunt: quandoquidem medicina à medendis morbis denominationem suam sortita est. Cum autem Hippocrates libro de arte tribuat tantum morborum curationi, vt ea sola medicinã definiat, innuere certè videtur hac ipsa nihil potius esse in arte medica, in illisq; partibus quibus fugatur morbi, si non totam at majorem totius artis excellẽtiã splendoremq; effulgere. Ait enim ille medicorum omniũ facile princeps, medicinam esse morbos ab ægris radicitùs aufferre, effrenatos cohibere morborũ impetus, nec non eorum qui à morbis quassati, victiq; sunt curationem non suscipere. Hæc sane ab Hippocrate tradita medicinæ definitio, vt refertur ad solam curationem, sic determinat qualem eam esse oportet in vnoquoque genere morbi. Nam cũ in vniuersum tres morborum species sint, authore Argenterio, quorum curandorum gratia medicorum auxilium implorant homines, vna eorum qui remediorum vi plane curantur, eorum altera qui laborantẽ è viuis tollunt, tertia autem eorum qui neque occidunt ægrum, neq; ex læsa parte propelli possunt: quid profectò in earũ singulis moliri oporteat medicum hac definitione sua detegit Hippocrates. Prudentis namq; medici esse testatur, morbis curationem admittentibus medicamenta congrua adhibere, eosq; penitus profligare, prænuntiato vero morbi exitu ægrotãtibus illis manum non admouere, quos morborum grauitate fractos, prostratosq; esse ipse præuiderit: quos deniq; huiusmodi morbos esse cognouerit, vt quamuis non interimant hominem, nequaquam tamen euinci queant, acres eorum morsus delinire, quod genus curandi fucatum vulgo nuncupatur, non inficias autem eo, quod in definitione secundum membrum est, etiam edomandæ symptomatum ferocitati, primæ speciei morbos concomitantiũ attribui posse. Verum vt eò reuertatur vnde defluxerat

Medicinæ definitio.

Lib. de morborum differẽtiis. cap. 13.

Diuisio morborum.

nostra oratio, præfatæ medicinæ partes præ aliis omnib⁹ magno in prætio apud omnes magnoq; in honore fuerunt eamq; ob causam, in illis solũ explicãdis autores multi artis medendi gloria excellentes ætatẽ consumpserunt suam, vti eorum libri amplissimam fidem bonis omnibus facere possunt. Atq; hac nostra tempestate non nisi ob curationem morborum medicinam quidem comprobari, medicos verò ab omnis fere conditionis hominibus conuocari, vbiq; locorũ vnusquisque nostrum experitur.

¶CVRATIO MORBORVM APTA remediorum administratione perficitur quæ administratio fieri nullo modo potest citra morbi cognitionem. Cap. 2.

MORBOS humanum corpus infestãtes à medicis quidem non semper, semper vero à medicina curari vera mehercule eaq; aperta oratione libro de arte declarat Hip. Nam qui ægrotantes ex vndis morborum & fluctibus emersi ad optatum sanitatis portum appulerunt, quatenus aliquid fecerũt aut nõ fecerũt eos omnes cõualuisse, quãuis medicorũ opera vsi nõ fuerint, illo in libro jure optimo defẽdit. Atq; cum ob artis ignorationem curandis affectibus vtilia suadentis, toto morbi progressu alia atq; alia experiri cogerentur, inciderunt in multa, fortuna duce, restituendæ pristinæ sanitati commoda: interim autem nõnullis eorum quæ incommoda erant etiam impegerunt: verum huiusmodi infirmis aliquid contigit detrimenti, ob horum inconcinnum atq; ineptum vsum: ex illis vero, sed forte ita ferente, legitime vsurpatis opem ipsi perceperũt nec vulgarem nec mediocrem. Nam, vt præfato opere scribit Hippocrates, nihil nisi ob rectum vsum satiationi potest cõferre: Quod autem præpostero vsu deprauatum est, id quidẽ ægris

Interdum fortuna duce curãtur morbi sine medico sed non sine medicina.

obesse,curationemq; aut remorari, aut destruere solet. Quod cum ita sit,non quouis modo vsurpata medicamina, sed iusta methodo administrata remedia, propellendis morbis idonea sunt. Nec verò conueniens ille, atq; legitimus remediorum vsus, quoniam artis legibus iisque non vulgaribus coercetur, imperito ac rudi populo,raro quidē ac forte tantum in eum ipsum illabenti, peruius esse potest, & perspectus. Etenim illius ipsius cognitio eorum duntaxat hominum propria esse solet, qui cum à cælesti,supremaq; luce magno ingenij lumine dotati sint, & exornati, egressi primum logices finibus, deinde per amplissimū physices campum expatiati, latissimum tandem medicinæ oceanum transnarunt. Eiusmodi autem artis peritis hominibus clarum omnino, ac manifestum est, vix ac ne vix quidē posse fieri,vt ei morbo legitima suppetat administratio medicamentorum, cuius notitiā mentis nostræ oculos contingat effugere. Nam cum hoc nostro tempore artem medendi profiteri se dicant emperici, atque ij etiam qui doctrinæ, rationisq; vestigiis insistētes dogmatici rationalesq; vulgò nuncupantur, missis factis hoc ipso loco empiricis (quos tamē neq; obseruatione, neque analogismo citra morborum cognitionem,vtī posse nullo modo crediderim) morbus quidem exploratus esse debet, & cognitus rationali medico, si ei probe mederi, remediaq; arte parata admoliri velit. Idoneus ergo, & arti consentaneus medicamentorum vsus is esse dicatur, quorum primum omniū genus inuentū est,ea autem deinceps tum quantitate, tum qualitate,tum modo,tū tempore,tum loco, tum ordine congruo, definita ac præparata sunt. Hos septem agendi scopos doctrinæ laudibus cumulati medici, indicationibus consequi solent. Indicationes autem curationi addictas ex morbis, ac omnino ex affectibus contra naturam elici debere,expositis à Galeno principiis Argenterius affirmat. Nam cum ea sit natura eorum quę indicāt,authore Galeno, vt quod genus

Quibus cognitus sit legitimus vsus remediorum.

Hac nostra ætate duo sunt medicorū genera siue sectæ.

In curandis morbis septem sunt agendi scopi.

Lib. 2. de officijs medici. Cap. 12.

indicat assumptis suis differentiis, alterius quod indicatur ostendat differentias, certè vt ex affectus specie remedij genus, sic sex huius cōmemoratæ differentiæ, ex differentiis illius indicantur. Non inficior tamen rerum naturalium, & non naturalium coindicationes, contraindicationes, & correpugnantias, cum indicationibus ex affectibus contra naturam sumptis, dum medendi nobis animus est, summa cum diligentia conferre nos oportere. Quamobrem nisi lumen ingenij ignorantiæ caligine obscuratum habeamus, planè intelligere licet morbos, eum nosse debere, qui rationis calle incedens, methodo artificiosa medicari se velle dixerit. Nunquam enim ex morbo, aut alio aliquo affectu contra naturam ignorato, indicationes desumi posse, qui mentis compos fuerit autumabit. Hippocrates autem, cognitionem morborum medicis vsqueadeo vtilem esse contendit, vt eos velit qui ad cognoscendum suffecerint, sufficere etiam ad sanandum, nec cuius morbus manifestus est medico, eum obire posse arbitratur: nisi forte ob morbi celeritatem, aut quia serius medicus accersitus est intereat. Galenus post vnum Hyppocratem medicorum omnium pręstātissimus, quicquid coniecturale est in arte medica, id maxime in dignoscendis morbis positum esse, eosdem autem cognitos, nō amplius via coniecturali, sed certa ratione & necessaria curationem demonstrare asserere non veretur. Hæc cum apud me cogitarem, operepręti fore duxi, si quæ à doctissimo Argenterio dignoscendorum morborum tradita est methodus, eam multorum exemplorum accessione, hoc breui opere illustrarem.

Lib. de arte.

Cap. 1. lib. 2. de cōpositione secundum locos.

Authoris voluntas.

¶ QVAE DE MORBO, AD CVRAtionem eius moliendam medicum nosse oportet. Cap. 3.

QVI de morborum cognitione diſputarũt medici quid morbus ſit & quotuplex, quid cauſa morbi & quot eius genera, quidq; ſymptoma & quod eius ſpecies ſint, omnes quidem probabili oratione, verum alij ad veritatem propius accedente, alij contra ab ea deflectente longius explanare vidẽtur. Sed quia aut eos inter ſe conciliare difficillimum eſt, & in primis arduum, aut quis eorum optimè ſenſerit explicare velle, vix eius eſt qui veretur reprehẽſionẽ doctorum atq; prudentium: idcirco hęc omnia ab ipſis tum veterum, tum recentium autorum libris venanda ſatius eſſe puto: atq; his ita cognitis, ad eam quam expolire nitimur methodum deſcendere. Et quoniam ad notitiam morborum, eorumdem curandorum gratia, optimuſquiſq; medicus aſpirare debet, ea certè nunc à nobis inueſtiganda ſunt & exquirẽda, quæ vel medici curare, vel medicos curationem molientes commonefacere ac dirigere ſolent: vt tandem ad explicandam eorum dignotionem, nos noſtramq; orationẽ conuertamus. In primis igitur ſpecies morbi cõſideranda venit, vt cuius ratione omnis curatio inſtituta eſſe videatur. Nam etſi morbus ſublatis eius cauſis, aut ſemper, vt vult Argenterius, aut crebró vt multis placet, propelli videatur, & ob eam rem illis ipſis remedia decernantur non morbo: nihilominus tamen morbi ipſius dignoſcendi prima medicis cura eſſe debet, cum ratione eiuſdẽ quæ illi aſtant cauſæ, idoneis medicamentis expungi ſoleant. Deinceps autẽ perſcrutari decet quę ſunt morbi differentiæ, quòd in inueniendi auxilij deliberatione diſtrahant animos medicorum, afferantq; illis alias atq; alias anſas medẽdi. Hinc ſimplicis affectus & compoſiti medentibus omnibus familiaris eſt & neceſſaria diſtinctio: hinc obſeruatio magnitudinis & paruitatis morborum: hinc acutiei & longitudinis, hinc boni & mali moris morbi, hinc exquiſitæ nothæq; ægrotationis frequens & erudita apud Galenum oratio. Sunt præterea cauſæ

Ad curationẽ recte inſtituendã cognoſcere debet medicus & ea quæ ſub curationem cadũt quæ primo indicant & ea quæ curantem mdicũ dirigũt quæ indicant ſecũdo loco & vere coindicãt.

Differentiæ morborũ pertinent ad curationem.

morborum ab vnoquoque medico perpendendæ, non ſolum quæ gignendi, quæ augendi, quæq; fouendi vim habent ſed etiam in quibus tanquam in ſubiecto, morbi ipſi reſidere ſolent: illis cauſarum efficientium nomen eſt, has verò lęſas affectaſq; partes ab omnibus fere medicis nuncupari video. Cauſarum autem efficientium & partium affectarum nobis curationẽ inſtituentibus, omnino neceſſariam eſſe cognitionẽ manifeſtum eſt, quoniam illæ ſuis indicationibus præ ſe ferunt quid agẽdum, ſit & quaſi remediorum adminiſtrationem efformant: hę verò quam cauſa ſiue ſola ſiue cum morbo à ſe genito medendi rationẽ nobis propoſuit, eam ipſam contraindicationibus ſuis aliâs moderantur, aliâs etiam omnino reſpuunt. Nec verò cuiquam mirum eſſe debet curandi methodum aut omnino aut majori ex parte dirigẽdam eſſe his duobus cauſarum generibus, cum ex illis morborum ſpecies & natura, niſi mea me fallat opimo, oriri emanareq; videatur. Sed & morborum ſiue partes ſiue ætates ſiue tempora cõſiderare medicum oportet, quòd prætermiſſa eorum obſeruatione curatio ipſa vix ſatis aptè perfici queat. Nam quamuis nihil eorum quæ agere expedit à morborũ temporibus indicari aduerſus methodicos argumentis multis doceat Gal. ea tamen coindicationibus ſuis ad benè & perfectè curandum plurimum opis medicis ad ferũt. Eam ob cauſam hæc curationis lex in aphoriſmis ſancita ab Hippocrate, incipientibus morbis ſi quid videtur mouendum moue: vigentibus autem quieſcere multo præſtat. Eſt & hæc in eam rem eiuſdẽ autoris præceptio, In morbis acutis rarò & per imitia medicamẽto purgantę vtendũ idq; cum diligenti præmeditatione facere oportet. Hactenus ea propoſita ſunt à nobis quæ in curatione morborũ decernẽda maximè obſeruare debere, & quę idcirco in omni ægrotatione optimum quemque medicum expendere diligenter oportere judicauimus. Etenim qui illa ipſa in omni affectuum genere ſumma

Dignotio cauſarũ morbi cõfert curationi.

Tempora morbi coindicant non indicant.

Cap. 45. lib. de optima ſecta traſybulum.

Apho. 29. lib. 2. Aphoriſ.

Apho. 24. lib. 1.

cum diligẽtia rimatur, quique celerrimè,& acutiſsimè poteſt & videre, & explicare eorum rationem, is ſanè quòd ad dignoſcendos morbos attinet, prudẽtiſsimus medicus, & ſapientiſsim⁹ ritè cenſendus eſt. Quocirca Argenterij methodum ſequentes, vniuſcuiuſq; horum dignotionẽ, ſi non illuſtri & ornata, at certè facili, & perſpicua noſtra oratione, explicare aggrediamur.

¶QVOT, ET QVIBVS SIGNIS, ſpecies morbi dignoſcitur. Cap. 4.

MORBI dignotionem ab excretorum ſpecie, à loci natura, à proprietate doloris, & à propriis accidentibus hauriendam eſſe, primo de locis affectis libro, multis & familiaribus exemplis probat Gal. Qua quidem de re ſic agit Hippocrat. libro primo morborum popularium, morbos dignoſcimus edocti ex natura cõmuni,& propria, ex morbo, ex ægrotante, ex oblatis, ex offerente, ex cæli ſtatu, ex habitationis loco, ex conſuetudine, ex victu, ex viuẽdi conditione, ex ætate, ex ſermone, ex taciturnitate, ex imaginationibus, ex ſomnis, ex vigiliis, ex inſomniis, ex vellicationibus, ex frictionibus, ex lachrymis, ex acceſsionibus morborum, ex deiectionibus, ex vrinis, ex ſputis, ex ſudore, ex rigore, ex frigore, ex tuſsi, ex ſternutamento, ex ſpiritu, ex ructu, ex flatu vel ſilente, vel ſtrepẽte, vel ſonoro, ſed & ex eruptione ſanguinis,& ex hęmorrhoidibus. Horum autem ſignorũ, vt & reliquorum ſi quæ prętermiſſa ſunt, conſtituenda eſſe prima quædam genera cenſet Argent. propoſitã hac vna conuenienti, & appoſita ratione, quatuor in vniuerſum decerni oportere contendit. Quod vel aliquid eſt de re, vel ad eius conſtitutionem aliquid confert, vel effectũ eſt rei energia, vel cum ea ſimilitudine cohęret, & proportione, id quidem communi omniũ approbatione rei ſignificandæ ius habet: hinc fit vt ab illo quatuor prima ſignorum genera non immeritò cõſtituta

Cap. 5.

Sectione. 3.

Varia ſigna ex Hippocrate enumerantur à quibus morbi dinoſcuntur.

Cap. 5. lib. 1. de ſignis medicis.

Diuiſio ſignorum.

constituta sunt. Primo autem genere quod rei naturæ destinatum, est vt propriam singulorum morborum formam, sic genera differentias, partes proprietatesque eorum comprehendenda esse putat. Secundum verò genus in causis totum versatur, vnde ad illud ipsum variæ morborum causæ eodẽ authore referendæ sunt: huc pertinent quæ & suggerendæ & commouendæ morborũ materiæ vim habent: hoc continentur tum iuuantes tum lædentes causæ: huic subest materialis causa, siue à qua, siue quæ subiecti naturam induit: huc deniq; reuocãda sunt quæ quouis modo ad generationem morborum concurrere solent. Tertiũ autẽ genus, cui effectus rei subiiciuntur, omnes symptomatum seu species seu differẽtias ambitu suo complectitur. Symptomatum verò morborũ longè lateq; portenta sylua est, & ab omnibus artis medẽdi authoribus in tres ordines digesta. Nam quæ extinctæ & prorsus deletæ sunt functiones, quæ auctæ vel diminutæ, quę deprauatæ, quæ tristes, aut præter naturam voluptuosæ, omnes hæ primo symptomatum genere continentur. Ad alterũ spectant ordinem quæcumq; ex retentorum aut excretorum numero, tum substantiæ tum quantitatis tum qualitatis aliquo vitio deprauata sunt. Tertij ordinis esse dicuntur quotquot in affectis corporibus aut fœdos colores reperias, aut teterrimos & graues odores, aut sonos præter naturam, aut ingratos sapores & molestos, aut eos vitiatos affectus qui sensu tactus percipiẽtur. Quartum & vltimũ signorũ genus in similitudine & porportione rei consistit: cuius ratio duplex est. Nam vel secundum aeris temporisq; constitutionem, vel penes morborũ accidentium concursum similitudo ipsa & proportio, quæ morbi notitiã adfert, considerari potest.

Ibidem.

Quatuor sunt genera læsæ actionis.

Duplici similitudine dignoscuntur morbi.

¶ MORBVS EX FORMA PROPRIA genere differentiis partibus & proprietate cognoscitur. Cap. 5

Dignoſcitur morbus ex propria forma.
Cap. 10.
Cap. 7.

MORBOS corpus noſtrum affligentes propria ex forma dignoſcere medicus ſolet, ſiquidem illam ipſam vel aſpectu vel aliquo alio ſenſu percipere is poterit. Galenus tum primo de febribus tum ſecundo de criſibus libro febrium formã diligẽtiſsimè conſiderandam eſſe vult & inſpiciẽdam, vt hac via & ratione earum cognitio quàm clariſsimè ante omnium oculos eluceat. Idem præterea vti homines ex figura & propria forma internoſcere, ſic febres ex ipſa forma cognoſcere nos oportere præfato loco teſtatur. Nec verò vulnera aut faciliore aut certiore modo quàm formæ conſideratione cognoſcere quiſquam poteſt, vt nec pleroſq; alios morbos partes corporis externas obſidentes, quorum quidem forma ſub ſenſus noſtros cadere conſueuit. Eam ob rem Tagautius dum vulnerum dignotionem tradit notas ipſorum non aliunde quàm ex judicio ſenſus & viſus maxime, cui vulnerum forma ſubiicitur, repetendas eſſet cenſet: idemq; ſcribit tumores præter naturam corporis ſumma occupantes, judicio ſenſus conſpecta manibuſq; contrectata laborante particula ſtatim deprehendi, vt pote forma ipſorũ hoc modo perſpecta.

Lib. 1. de febr. cap. 10.

Cap. 3. lib. 2. Inſtitutionum chirurgicarũ.

Ex generibus dignoſcuntur morbi.

Ex generibus autem cognoſcendos eſſe morbos ex eo perſpicuũ eſt, quòd ad quotidianas tertianas & quartanas febres exactiùs dignoſcendas putridæ febris ſigna, quæ harũ trium formarum genus eſt, magnopere nos iuuare poſsint. Quapropter ea à nobis diligenter inſpicienda ſunt & obſeruanda, ſi quando in earumdẽ febrium cognitione ſenſuũ noſtrorũ aciem hebeſcere cõtingat. Hinc Gal. noſter poſteriore de febribus libro tertianarum quotidianarũ & quartanarum ſigna explicaturus, pleraſq; putridæ febris notas libro priore recenſere voluit, vt harum inſpectione multo clariora illa eſſent nobis & magis perſpicua: nec in febribus tantum ſed & in multis aliis morbis dignoſcẽdis conſideratio generis locum habere poteſt, quẽadmodum luxationis exemplo omnino manifeſtum fit. Siquidem

Cap. 7.

quæ luxationis generaliter acceptę enumerãtur signa, illa certè ipsa vnamquamq; eius speciem quàm facillimè solent indicare, singulis ossium articulis luxatis adhibita. Quis enim nisi in arte medica cæcus plane fuerit, cubitum luxatum esse nõ videat, si & brachij figurã peruersam neq; rectam manere, & in vna articuli parte sinum esse in altera extuberantiam, & denique brachium in vnam partem facilè in alteram vero difficilè moueri posse intellexerit? Ac ne longiùs progrediatur nostra oratio, cum in singulis vt rerum aliarum sic & morborum formis, tota posita sit generis natura, certè nec ignorato morbi genere quid certi constituimus de notitia speciei, & vnaquęque forma perspicua ac manifesta quodam modo reddi potest, ipsius generis contemplatione. Quod autem ad differentias attinet, vt morbi à se inuicẽ separãtur, sic & ipsi innotescere possunt earumdẽ ratione. Namcum differentiæ aut communes sint aut propriæ aut maxime propriæ, omnes sanè dum morbum vnum distingunt ab altero, eũdem etiam vt plurimùm cognitum reddunt, atq; id præsertim vltimæ faciũt, mediæ minùs minimè autem omniũ primæ. Eã ob causam si quis febre corripiatur, quæ tum simplex tum mitis tum facilis esse videatur, optimo jure eam diariam esse judicabim⁹, præsertim si in solis spiritibus accensus calor fuerit. Nec perperã qui tumor paruus sit superficiariusq; ac biliosus, eum erysipelas esse autumare poterimus. Hepatis autem ac reliquarum partium internarum vulnera, facilè detegunt quæ ad profundum, quæq; ad rectum aut obliquum attinent differentiæ, probè quidẽ cognita totius corporis humani anatome. Partes verò morborum, quæ ex Argenterio tempora sunt eorumdem particularia atq; vniuersalia, ipsis morbis cognoscendis magnopere cõferre nemini dubium est. Cum enim temporum alia ratio sit in vno morbo & alia in alio, fit mehercule vt perpensa propria ipsorum natura, notitia morborũ medicis omnib⁹ certior sit & clarior.

Ex differentijs repetitur morbi notitia.

Vln⁹ enĩ hypochondrio dextro illatũ si & rectũ sit & partes omnes continẽtes suã profunditate superet hepar vulneratum detegit.

Lib. de morb. tẽpor. c. 2. 6 & 7

Ex partib⁹ dignoscũtur morbi.

Varijs in locis

Hac ratione impulsus Galenus dum febriũ cognoscendarũ viam ac methodũ explicare vult, earum tempora ne silẽtio quidem prætermittit, imo vero illorũ ipsorũ animaduersione vniuscuiusq; speciei febris dignotionem illustrandam esse adiuuandamq; & adaugendam insinuat. In affectibus cõpositis & iis omnino qui ex pluribus morbis coalescunt dignoscendis, illis ipsis partibus etiam locus est, si tamẽ vnicuiq; eorum morborum nomen partis attribuere liceat. Nam quibus quotidianum continuam inesse & tertianam intermittentẽ cognouerimus, eos profectò semitertiana laborare intrepidè proferemus: nec eum pleuriticum esse opinabimur, quem non febricitare continuè intellexerimus licet punctorio dolore lateris torqueatur: & cum excessu vitiata quantitas solutio continui ac intemperies partis tumores præter naturam componant & constituant, non immeritò tumorẽ aliquem præter naturam in eo esse arbitrabimur, in quo tres hos morbos conglobatos esse animaduerterimus. Proprietatẽ autem quæ etiam sub tertio signorum genere continetur, dignotioni morborũ apprime vtilem esse cùm multis alij tum arenularum mictu cognitu facile est, vt qui si quando meiendi difficultas ægrum aliquem diuexet, nephritide eundem teneri euidenter arguat, aut certè lithiasi.

Quoniã essentia cõpositorũ morborũ posita est in cõpositione duorum aut plurium affectum, idcirco si ex illis vnus deficiat cõsistere nõ possunt cõpositi: implicitorum eadem ratio est.

Dignoscuntur morbi ex proprietate.

EX VARIIS MORBORVM CAVSIS morbi dignoscuntur. Cap. 6.

QVONIAM morborum ea est conditio, vt illi non ex quouis humore sed vel semper vel vt plurimùm certa ex materia fiant & oriãtur: idcirco quibus causis morborum materia generatur ac commouetur, iisdem morbos dignosci posse medicinæ proceres affirmarunt. Quæ etenim humorem pituitosum gignunt quotidianas febres procreantem, ea inter quotidianarum signa enumerantur à Galeno,

Morbi vt plurimum fiunt ex certa materia.

Lib. 2. de febribus, cap. 4.

Lib. 4. de fe-

ab eodemq; inter notas tertianarum & quartanarum referũtur, quæ & biliosum & melancholicũ humorem solent producere, cum ex hoc quartanæ, ex illo vero tertianæ febres suum habeant ortum. Ac certè verna naturalis temperies tum insaniȩ, tum melancholiæ, tum epilepsiæ, tum sanguinis fluxus, tum grauedinis, tũ destilationis, tũ tussis, tum lepræ, tum impetiginis, tum vitiliginis, tum pustularum vlcerosarum, tum dolorũ articularium vnum ex signis à nobis esse dicitur, quòd ea anni parte temperata horũ omniũ affectuum materiam concitari commoueri que videamus. Sicca autẽ & aquilonia veris constitutio pluuiosam hyemis & australem sequens, vt defluctionum materiam gignere solet simul & commouere, sic & inter earum ipsarum notas, nec abs re quidem, recenseri potest. A iuuantibus causis & lædentibus parari notitiam morborũ, nõ solum quotidiana docet experientia, verumetiam optimi quiq; authores perhibent. Nam vt vnius Galeni mentionem faciam, is certè cap. 4. lib. 1. de locis affectis viscerũ interiorum calidam intemperiẽ quàm certissimè tum nos deprehendere testatur, cum à frigidis medicamentis & refrigerente victu ægrum sanari obseruamus, & à calidis cõtrariis lædi. Qui autẽ quibusnam præsidiis omnes earũ partiũ dispositiones ad laudabilem reduci queât valetudinem perfectè norunt, eos nec nudã opinionẽ nec scientiam obscuram, sed certissimam cognitionem harum omnium dispositionẽ habere idem autor asserit. Sed & capite 3. lib. 6. operis eiusdem in inuestigando calculoso affectu hoc signi genere fœliciter se vsum esse dicit. Multos enim laborantes quibus dolor modicus profundos lumbos exercebat, quiq; nondũ arenosum quicquã manifeste exercebant, calculo laborare certò cognouit, dato eis medicamento quod lapidem in renibus confringere posset & conterere. Diuturnum autem tum capitis tũ artuum dolorẽ, qui neq; vacuationibus vel sæpius repetitis, neq; vllis externis remediis cedit, luis venereæ

bribus cap. 1. & cap. 8.

Lib. 3. apho. 20 aphorismo.

Ver ex se morbos nõ generat sed morborum materiã intus delitescentẽ foras propellit si temperatũ sit.

Apho. 12. lib. 3.

Eaten⁹ vtendũ hoc signi genere quaten⁹ alia deficiunt & remedia periculosa non sunt.

sobolem esse optimo jure autumamus, præsertim si & potione decoctionis guaiaci, & vt vulgus chyrurgorum tenet, vnguentorum frictione argentum viuum admittentium eum radicitus euelli posse contingat. Speciem morborũ facilè detegit id genus causæ quam materiã à qua dicimus. Nulla enim difficultate acutis tertianisq; febribus infestari illos arbitrabimur, quos bile scatere simulq; febrientes esse cognouerimus: sic pituitosos febricitantes quotidianis, sic quatarnis melancholicos, sic denique sanguineos continentibus febrib⁹ torqueri meritò quis asseruerit. Vulnera autẽ omnia, nec non cõtagiosi morbi & venenati, hoc signi genere majori ex parte dignosci possunt. Materia autẽ in qua, quæ subjectum morborum esse dicitur, eam ob causam signorum numero morbos ipsos indicantium ascribẽda venit, quòd nec morbis omnibus recipiẽdis omnes corporis partes opportunæ sint, nec in quodlibet hominum corpus, quilibet morbosus affectus cadere consueuerit. Quocirca oborta affectione aliqua circa fauces, eam anginæ speciem aliquam esse nemo non opinatur & qui in latus incidit morbus, is omnib⁹ pleuritidis suspicionem inducit. Cum autem cor plùs solito calet illud dicimus calida in tẽperie esse affectũ, phlegmone autẽ obsessum doctrina Galeni insistentes planè inficiamur. Si quis etiã in alterũ crus prolapsus fuerit ex alto, eum in carne quidẽ vulnus, in osse autẽ accepisse fracturã protinus omnes judicant. Hoc signi genere suadente vel obstructione à calculo, vel morbo articulari oppressos eos esse putamus, quibus antea calculosam dispositionem aut arthritim sæpius perpessis, regio lumborum doleat, vel aliquis corporis articulus. Nec vero his tantum causarum generibus, quæ commemorata sunt, sed & aliis quæ multa recensentur ab Argenterio, morborum notitia parari solet: quemadmodum partim in legendis authorum libris, partim in exercenda medicina, diligentissimus quisq; medicis obseruare potest.

Vnde in quo putatur esse venenũ cõtagione contractum à quo lues venerea procreatur eundẽ ipsa lue affectũ esse cõjiciunt medici.

Lib. 1. de causis morborũ. cap. 2

¶ AB ACTIONE LAESA morbi dignoſcuntur. Cap. 7.

MORBORVM inueſtigationem mirum in modũ juuari reddiq; omnino facilẽ animaduerſis partiũ affectarum læſis actionibus quotquot tum in Galeni lectione, tũ in ſanandis ægris diu multumq; ſunt verſati, nõ dico ignorare ſed dubitare nullomodo poſſunt. Vix enim vlla ſpecies eſt febris, quæ ſagaciſsimum ac peritiſsimum medicum latere ſoleat, ea pulſus lęſione, quam vnaquæq; propriã habet, acuratè diligenterq; conſiderata: Multi autem ex capitis morbis(qui ferè omnes à graui aliquo ſymptomate nomen habent) obſeruata & motus & ſenſus noxæ differentia,vel medicinæ tyronibus facile eluceſcunt. Quem enim fugit, niſi artis medicæ omnino ignarũ, ægrotantẽ eum perculſum eſſe apoplexia, cui functionis omnis animalis priuationẽ accidiſſe repẽte intellexerit? Quis eum neſcit, qui cum principes cerebri facultates integras habeat, vel partibus omnib⁹, vel alterutro corporis latere, vel parte aliqua motu & ſenſu priuatus ſit, paralyſi eſſe affectum? Quis in eo vertiginem non agnoſcit, cui omnia circumagi videantur, quiq; niſi propinquis nitatur adminiculis ſæpenumero ipſe corruat? Tremorem quidem ante omnium oculos ponit motus deprauatus, partem corporis præter voluntatam concutiens: Conuulſionem verò perſpectã reddit ea motus lęſio,qua inuitis ægris ſuam originẽ verſus muſculi ſunt perpetuo contracti. Quid de epilepſia quidúe de incubo dicam? Illam certè arguit partim ſenſuum omnium atque functionũ mentis interceptio partim cõuulſiuus totius corporis motus, non perpetuus quidem ſed qui per interualla repetere ſoleat: hunc autem impedita reſpiratio cum intercepta voce,nec non deprauata imaginatio clarum manifeſtumq; faciunt:quandoquidẽ qui eo laborãt af-

Dignoſcitur morb⁹ab actione læſa.

Ab abolitis actionibus oĩbus cerebri dignoſcit⁹ apoplexia.

Dignotio paralyſeos.

Hęc magna ex parte deſumpta ſunt ex Fernelio lib. 5. de partũ morbis cap. 3

Dignotio vertiginis.

Dignotio tremoris.

Dignotio cõuulſionis.

Epilepſiæ dignotio.

Dignotio incubi.

fectu, se ab aliquo, tanquam ab incubãte mole premi peneque suffocari imaginantur. Iam verò vt melancholiã denuntiant metus & mœstitia, quæ sanè læsæ imaginationis sunt, sic species reliquas desipientiæ, actionum à cerebro manantium cogitatione verbo & opere se prodens offensio, facilè satis indicat. Quid autem phrenitim quid lethargum quid soporem quid coma, qui catalepsim commemorem? Hi certè omnes affectus animalium functionem læsione, quæ tum ex Galeno tum ex Fernelio repetenda venit, si non omnino at majori ex parte ab vnoquoq; nostrũ deprehendi possunt. Cordis autem intemperies omnis læsione pulsuum dignosci solet: calidam enim adesse testatur pulsus frequens & velox, viribus autem non languidis magnus etiam, atq; iisdem validis robustus & vehemens: frigidam designat pulsus superiori plane contrarius, & siccam exilis tẽsus & durus, humidam vero plenus mollis & languidus. Reliquis vero tum cordis, tum cæterarum partiũ vitalium cognoscendis morbis inutilis non est actionis læsio. Quod quidem vt verum esse doceamus, vnius pleuritidis exemplum in medium proferre satis est nobis, ne aut prolixa oratione fastidium, aut nimia sermonis breuitate obscuritatem adferre videamur. Tussis itaq; difficilis respiratio, dolor lateris punctorius, pulsusque durus & seratilis, inter propria signa pleuritidis à Galeno recensentur, quæ omnia ad læsas actiones pertinere nemini dubiũ esse censeo. Actionum quidem offensa, quam ex Argẽterio quadruplici genere distinctã esse antea monuimus, non solũ morbis hactenus enumeratis, sed & reliquis omnibus inuestigãdis optimo jure cõuenit. Cum enim morbus omnis eorum quæ corpus nostrũ componunt ametria sit & inęqualitas, non autẽ quæuis (vt Aristoteli placet) sed quæ euidẽter partium corporis actiones læditi: idcirco nec morbus vllus esse potest in aliqua parte eius actione integra manente & illæsa, nec vlli⁹ partis lęsa functio est, nisi vel presentia alicuius

Melancholiæ dignotio.

Intemperies cordis cognoscitur ex læsione pulsus.

Dignotio pleuritidis.

Lib. de generibus & differẽtijs symptomatum. cap. 3.

Cur actio læsa dignoscẽdis morbis vtilis sit.

alicujus morbi vel impetu. Atque cum non omnes eandem, ſed alij atque alij morbi aliam atque aliam actionis læſionem partibus inferant, fit profectò vt ſpecies actionis læſæ ſpeciem morbi & conſequatur, & indicet.

¶ AB EXCRETIS ET RETENTIS dignoſcuntur morbi. Cap. 8.

QVOD medici in morborum cognitionem veniant excretorum retentorumq; obſeruatione, communis eſt multitudinis ſententia, morbos omnes vel ſola vrinarum inſpectione ab eis cognoſci debere judicantis. Et quamuis hæc opinio tam abhorreat à veritate, quàm quod maxime alienum ab ipſa eſt (neque enim fieri poteſt vt omnis ægrotatio ſolius vrinæ contemplatione medicis innoteſcat.) Si quis tamen vrinæ tum conſiſtentiam tum quantitatẽ tum qualitatem tum contenta diſcernere probe norit, is equidem huiuſmodi artificioſa & diligenti vrinarũ conſideratione, notitiam morborũ multorum poterit adipiſci. Quarum autem partiũ morbis dignoſcẽdis, & quam ob cauſam vtilis ſit vrina, hac ſanè & breui & ornata oratione declarat Fernelius. Humoribus quidem tũ in minoribus vaſis fereq; in partibus ſingulis, tum vero in jecore majoribuſq; venis exiſtentibus, tantiſper dum vrina permiſcebatur, eorum omnem affectionem, omnem qualitatẽ contraxit aſciuitq; ſibi, & nunc quaſi deſecta portio, quæ ipſorum conſtitutio ſit, coram proponit planumq; facit. Quocirca ſi vel viſcera, vel majores venæ, vel caput, vel pulmones vllaue corporis pars morbo tenetur, quoniã hæc affectionem humoribus in ſe contentis impartit, vrina profectò quæ ſanguinis & humorũ comes eſt, eiuſdẽ quoque particeps erit, & profuſa affectionis notas referet, propriaq; eius ſigna dabit. Sed & partium per quas illabitur, vt renũ vreterum veſicæ ac penis affect⁹

Quod ex ſola vrina dignoſcũtur morbi vulgi eſt opinio.

Lib. 3. de vrinis cap. 8.

Quare multarũ partiũ morbis dignoſcendis vrinæ inſpectio confert.

representabit. Nam tametsi non diutius in his subsistat ac hæreat, ab illis tamẽ sordes & inquinamenta, si qua insunt, præterfluens corradit secumque rapit, sicque partium quas attingit omnium affectus illa ostendit. Hac mehercule oratione Ferneli⁹ singulariũ ferè partiũ morbis indagandis vrinam conferre posse innuere velle videtur: neque tamẽ cum imperita multitudine, quemlibet morbum sola vrinarũ inspectione medicũ dignoscere oportere voluit asserere. Atque vt meam de hac re paucis exponam sententiam, vix vllum morbum esse arbitror, in quo vel dignotionis vel prænotionis gratia, approbanda atque exoptanda non sit & accurata & prudens vrinarum consideratio. Sed vt ab vrinis ad alia exeretorum genera orationem nostram trãsferamus, Permulti morbi sunt non solum intestina verumetiam vicinas partes diuexantes à symptomate aliquo majori ex parte nomen sortiti quorum omniũ cognitionem venantur medici inspectione eorum quæ per aluum excerni egerique solent. Cum enim cibi crudi ac ferè tales quales assumpti sunt egeruntur, lyenteriam, cum verò semicoctum alimentum jamq; conuersum in chili naturam cremoris speciem referẽs per inferiora elabitur, cœliacam affectionem ægrum vrgere opinamur. Quod si vel pituitosus vel biliosus vel melancholicus humor, isque aut syncerus aut permixt⁹ excernatur, diarrhœã adesse judicamus. Si demũ cruentã deiectionem fieri contigerit, tum vel hęmorrhoidas vel dysenteriam infestare boni omnes medici censent: hæmorrhoidas quidem si cruor purus ac rutilus seorsum appareat, dysenteriam verò si impurus ac permixtus esse videatur: atque si purulentus dysenteriam proprie dictam, sim loturę carnium recens mactatarum similitudinem habeat, hepaticam dysenteriã ipsi agnoscunt. Seminis autẽ crudi præter voluntatẽ excretio, gonorrhœam simpliciter dictam, partium spermaticarum imbecillitatis intemperieiq; sobolem ostendit quemadmodum eiusdem purulenti fœtidi

Dignotio lienteriæ.

Cœliacæ affectionis dignotio.

Dignotio diarrhœæ.

Dignotio hæmorrhoidum.

Cognitio dysenteriæ.

Cognitio dysenteriæ hepaticæ.

Dignotio gonorrhœæ.

acris ac virosi mict⁹, vt fœtidem gonorrhœã præsefer sic luem veneream minatur. Ab excretis etiã plerosq; morbos vt vulnera atque vlcera dignoscunt chyrurgi: nam si cruenta appareat continui solutio vlnus, si purulẽta ac saniosa vlcus ab illis nominatur. Quæ autem retenta sunt in humano corpore contra naturam, illa ipsa de specie morborum, si de ea forte dubitamus, admonere nos possunt, eorum more quę contra naturã excernuntur, de quibus proxima nostra oratione breuiter egimus. Quapropter si in muliere matura ætate minimeq; grauida suppressos menses audiam⁹ statim aut solius vteri peruersionem, aut tum vteri tum viscerum interiorum vel intemperiẽ frigidam, vel obstructionem aliquam sub esse coniicimus, quisnam eorum morborum sit adiectis aliis signis euoluẽtes: & quibus ventris dolores fiunt, eos aluum omnino suppressam habentes, affectu colico: laborantes verò vrinæ suppresione, calculo infestari meritò suspicamur.

Dignotio vulneris & vlceris.

¶AB AFFECTIBVS CORPORIS morbi cognoscuntur. Cap. 9.

AFFECTVS corporis qui cum actione læsa excretisq; ac retentis morborum sunt effectus, diligenter à medicis obseruari debent, si quãdo ob morbi alicuius nec euolutam nec explicatam nec apertam satis illis cognitionem, distrahatur deliberando animus, adferaque ancipitem curam cogitandi. Quamobrem si quis acuta febre teneatur nec de eius specie plane constiterit, inspiciendus tum erit corporis affectus, hocq; modo si valde rubro colore totum, corpus perfusum fuerit synochum, sim valde pallido ardentem aut certe continuam tertianam esse audacter est affirmandum. Febris autem tabida medicis omnibus, atque etiam rudi atque ignaro populo, clara manifestaq; fit affectuũ corporis obseruationẽ. Nam cui nasus acutus, cui oculi concaui, cui tempora collapsa,

Dignotio febris biliosæ & sanguineæ ex colore.

Dignotio febris hecticæ.

cui aures frigidæ & contractæ, cui extremitates auriũ auersæ, cui cutis circa frontẽ dura circuntenta & arida, cui demum & reliquum corpus absumptum, & flos vitalis coloris extinctus sit, hunc certè tabida febre obsessum esse ne vllum quidem ignorare puto. Sed & vnius partis affectus cognitioni febrium vtiles esse hinc facilè patet, quòd tum amara tũ arida tum scabra tum nigricans lingua, biliosæ febris eiusdemque continuæ certa nota sit. Nec vero vllam hydropis speciem dignoscere, quis potest exactè, nisi variis corporis affectibus, qui vnicuiq; proprij sunt, prudenter attenteq; consideratis. Leucophlematiam enim tum adesse credũt medici, cùm & mollis & laxus & pallid⁹ tumor æquabiliter totum corpus obsidet. Ascitẽ autẽ solius abdominis tumor ostendit, sed qui splendeat instar aquæ, & dum æger se in latera conuertitur, fluctuantis humoris sonum edat. Tympaniam verò vnius etiam abdominis tumore agnoscim⁹, minore quidem & magis renitente, quàm in ascite atque in modum tympani strepitũ faciente, si quis abdomen pulsauerit. Hac autem tertia hydropisi specie qui laborant, his & & ructus frequentes sunt, & illis emissis paulò mitior fit dolor. Aliorum præterea morborum varias partes vexantiũ, manifesta signa sunt corporis affectus. Oculi si quidem sanguineo colore tetrici absq; febre ophtalmiam cum acuta febre phrenitim arguunt. Indicat vero pulmonũ obstructionẽ, cuius symptoma asthma dicitur, respiratio cum stertore & sibillo facta, vt raucitas tracheæ arteriæ asperitatẽ. Et ructus acidi frigidam, nidorosi verò calidam intemperiem ventriculi nobis insinuant. Qui œdema & reliquas species tumorum præter naturam cognoscere volunt chyrurgi, ij contemplandis affectibus corporis, sub aspectum quidem & tactum cadentibus, applicent se necesse est. Cognitionem vniuscuiusq; generis herniæ in scroto prominentis, affectibus corporis magna ex parte acceptam referre oportere omnibus notũ est & exploratũ.

Dignotio singularum formarum hydropis.

Dignotio asthmatis.

Dignotio calidæ & frigidæ intemperiei ventriculi.

Herniarum cognitio.

Enterocele enim tumore dignoſcitur rotundo & leui tactu idemtidem citra inflammationis ſenſum accretionem recipiente & imminutionem, interdum etiam penitus euaneſcente, id quod fit dũ æger ſupinus iacet, vel ſponte vel blando impulſu digitorum remeante inteſtino cum murmure ac rugitu: Epiplocelem manifeſtat tumor inæquabilis mollis & lubricus, qui neque imminuitur per mediã, neq; cohibito ſpiritu magnopere augetur, perit autem interdum ſupino infirmo, ſed ægriùs quam in enterocele, nullo ſono nullóque rugitu aſcendente epiploo. Pneumatocelem agnoſcimus & leui & renittẽte & clare ſplendẽte tumore, qui vt ſubito fit, ita repente deperditur æquè erecto atque ſupino ægrotante. Hydroceles autem & ſarcoceles continuus tumor ſignum exiſtit, ſed huius obſcurus grauis & durus imminutionẽ nullam agnoſcens, illius verò mollis leuis lucidum referens ſplendorem accreſens nonnunquam & decreſcens: ſed in ſarcocele ſi & contortæ & repletæ venæ apareant, tum varicoſa hernia appellari ſolet. Hæ ſanè vniuſcuiuſlibet herniꝫ ſpeciei præcipuæ notæ ſunt, quarum pleraſque ad corporis affectus vel omnium judicio referre par eſt. Hoc autem ſignorum genere continentur quæcunque in exploranda elephantiaſi tum ex cutis colore & aſperitate, tum ex partium corporis vitiata deprauataque figura repeti poſſunt.

¶ A SIMILITVDINE ET PROportione morbus dignoſcitur. Cap. 10.

MORBOS in omnium luce verſari perſpecta ipſorum natura cauſis & effectibꝰ docti tãtum medici, eoſdem verò ſimilitudine ac proportione dignoſci poſſe empirici quoque & artis medicæ ignari autumare ſolent. Similitudinis autem ad parandam morborum notitiam vim magnam eſſe Galenus Lib. 1. ad Glauconem. cap. 5. & cap. 7.

ostendit, cum nos obseruare iubet an corripiantur multi alij eo tempore aliqua specie febris, quo nobis eam in ægro aliquo dignoscere in votis est aliorum signorum obseruatione. Atque cum omnes morbi vel cognati sint, vel à corpore, vel à ratione victus vel à regione vel à constitutione temperiei vel à temporib⁹ à bono magnoque Hipp. proficisci dicantur, equidē in illis qui ad posteriores modos attinent perquirendis euoluendisque morbis, amplissimus locus est similitudini, quamuis & eidem in indigandis aliis, qui priorum modorum sunt aliquis esse possit. Nam inter quos similitudo generis obseruatur, vt & corporis & rationis vitæ, eos morbo simili detentos esse, si forte ægrotauerint, probabile iudicamus. At verò morbis eudemiis epidemiis iisq; qui ob tēperiem aeris partiū anni fiunt, jure optimo suspectos ægros habēt medici, præsertim si in illis eorum morborū aliqua alia signa perspexerint. Neque enim iniuria (hoc enim vno exēplo inpræsentiarum vti lubet) pestilentiali febre eum ægrotantem prehensum esse censebimus, quem febricitare cum frequenti hypothimia & asiduo vomitu, hoc morbi genere grassante, constiterit nobis. Similitudine autem eā quæ in sindrome posita est, medici vulgares & empirici patefieri morbos dicunt, noruntque hoc vno signi genere vti, quoties vel interrogatur de alicuius morbi specie, vel de cuiuslibet affectus instituenda curatione ipsi cogitant. Huius autem similitudinis beneficio, si quis lethargos eos à summis medicis iudicatos esse viderit, quibus febris continua adsit cum magna in somnum propensione & delirio, audacter sane & ipse judicabit, eum hominem esse lethargum, in quo hos tres affectus concurrere animaduertere queat. Eodem plane modo imitatione medicorum eos omnes anginosos appellat vulgus, qui difficilem tum respirationem tum deglutionem habuerint cum acerbo faucium dolore coniunctam. Empiricis autē hoc similitudinis genus in dignoscēdis

Modos morborum appellat Hippocra.

Lib. de humoribus.

Morbi eudemij sunt vernaculi epidemij à téporibus orti ijque tum simplices tum pestilentiales.

Dignotio lethargi.

Dignotio affectionis anginosæ.

morbis vſitatum eſſe propoſito vno exemplo intelligere licet. Quibus enim vrina cum dolore & guttatim fluit, eaque tum cruenta tum arenulis calculiſque permixta, ſumma parte preputij veſicam inflammatā eſſe indicante, eos laborare veſicæ obſtructione à calculo empirici norunt, longa duntaxat horum ſymptomatū obſtructionem huiuſmodi concomitantium obſeruatione edocti. Sed & hac ſimilitudine opinione mea niti videntur medici, ideo morbo aliquo affectos ægros eſſe concludentes, quòd in eis multa ſigna cōpareant, quæ ipſius morbi propria eſſe vel Herculanū, vel Sauenarolam, vel aliquem alium autorē ſcripſiſſe compererint. Qui enim aliorum ſcriptis ad morborū dignotionem attinentibus facilè ſuffragantur, & acquieſcunt, nec verò ratione & experientia veráne an falſa ſint examinare aut poſſunt aut dignantur (quod tamen ſe in omnibus omnium authorum libris feciſſe Galenus dicit) nunquam vel à natura vel à cauſis vel ab euētis rei, ſed ab vna ſimilitudine eos elicere morborum notitiam affirmare auſim.

Hæc ſigna decerpta ſunt ex Hippocra. lib 4 de morbis. Calculi veſicæ dignotio.

QVA METHODO EX QVATVOR propoſitis fontibus ſigna haurire oporteat. Cap. II.

PROPOSITIS fontibus eorumq; differentijs, ex quib⁹ ſigna hauriūtur morborum dignotioni apprime vtilia, quanam methodo in ſignis colligendis vti medicum oporteat breuiter nunc explicandum. Gal. 1. libri ad Glauconē cap. 2. ad ęgrum accedenti medico à maximis omnium ſignis incipiendum eſſe pronuntiat: deinde ab illis ita ad reliqua alia procedere iubet, vt ne minimum aliquod ab eo contemni prætermittiq; videatur. Siquidem vt magis aut minus firmum certumque ſit illud ipſum, quod ex maximis paratur iudicium, ex aliorum omniū adiunctione fit, vt ipſemet Galenus ſcribit. Hac tam diligens colligē-

dorum ſignorum ratio & methodus non omnino probatur ab Argenterio, cum is præcipiat, vt è ſingulis fontibus eas ſolum notas eruamus quæ propriæ ſint, quæq; ad deſignandum morbum ſufficiãt, ab eo fonte exorſi qui euidentiores notas præbere poſsit. Etenim vbi pauca id efficere poſſunt quod volumus ſuperflua vti multitudine opus non eſt, eiuſdem argenterij autoritate. Ac profectò ſuperuacaneum eſſe arbitror vniuſcuiuſque generis ſignorum differentias omnes perſequi velle quoties ex vno aut altero cùm proprias tum verò certiſsimas notas depromere licet, vt quibus meridiana luce nedum heſpero clariùs multò eluceat cuiuſlibet ſpeciei morbi notitia. Itaque vt propoſitã methodum exponamus, cum ſint quatuor ſignorum fontes ab vno genere eoq; inſtituto noſtro maxime omnium conueniente initium ducere oportet: deinde ab eo ad genus aliud rei propoſitæ magis congruum, à quo tandem ad quartum & vltimum progrediendum erit, ea quidem conditione & lege, vt in generibus ſingulis proprias ſolum notas enumeremus, nec diuertamus ab vno genere ad aliud, niſi priore toto diſcuſſo, ac tum progrediendi finem faciamus, cùm proprias atq; certiſsimas notas attigerimus, ſiue id in ſecundo aut tertio genere fiat ſiue etiam in primo. Sunt autem propria morbi ſigna & notæ, quæ vel perpetuo morbum comittantur, vel ei ſoli contingunt: certiſsima autem quæ tum perpetuo, tum ſoli morbo inſunt: quæ verò perpetuo quidem ſed non ſoli ineſſe dicuntur, ea ſecundum gradum habent certitudinis, vt author eſt Galenus commẽtario primo in librum primũ prorrhetici, quo quidem in loco phrenitidis ſigna examinat. Quæ ex propoſitis fontibus & locis petuntur ſigna, ex eorũ ſingulis propria aliqua eſſe poſſunt, certiſsima vix eſſe poſſunt. Quamobrem hæc in multitudine ſignorum & collectione, illa verò etiam in vnitate conſiderari debent. Quod ſi fortè ſignum vnũ aut alterum certiſsimũ reperiatur, id ſane & rariſsimè fit,

Lib. 1. de ſignis medicis. cap. 9.

Methodus colligendorum ſignorum in paranda morborũ dignotione.

Quæ ſunt propria ſigna,

Quæ ſunt certiſsima ſigna.

Quæ ſigna ſecundum habẽt certitudinis gradum.

fit, & à paucis admodum medicis animaduerti solet. Atq; vt de propriis ac certissimis seorsum agam, quæ singulorum morborum propriæ notæ sunt, non nisi longa aut oratione dici, aut obseruatione sciri posse plane judico. Quæ tamen prima ex fonte eruuntur signa, singula quidem eorum, si non semper, at vt plurimum propria esse solent. Quæ vero ex secundo aut tertio fonte proueniunt, eatenus propria esse repeiuntur quatenus morborum ipsorum & propriç quidem causæ sunt, & proprij aliqui effectus. In his autẽ quæ ad similitudinem attinent signis communitas sola est, atque idcirco ea duntaxat cum aliis coniuncta morborum dignotioni conducere possunt. Certissima autem signa vix quidem in omnibus, at certè in multis morbis esse tam verum est quàm quod virissimum: quod partim multorum authorum assidua lectione, partim longo in curandis morbis cõsumpto tempore, vnicuiq; nostrum permiũ esse potest. Certissima autẽ signa sunt in ardenti febre vehementissimus calor & inexhausta sitis, in phrenitide febris continua & ardẽs & delirium perpetuum, in pleuritide febris acuta, spirandi difficultas, tussis, dolor lateralis punctorius, in peripneumonia febris ardens præfocans æstus, tussis, difficilis respiratio, grauitas distentioq; pectoris, & rubor faciei ac tumor, in phlemone calor rubor dolor tentio renittens & pulsus, in œdemate molities indolentia & post appressum digitum cauitatis impressio. In multis autem aliis morbis certissimæ notæ sunt, sed in nonnulis illæ quidem ipsæ nec tam conspicuæ esse solent, nec ita dictu explicatuque faciles.

Quomodo per uenimus in cognitionem propriorum signorum.

Certissima signa febris ardẽtis & quorũdam morborũ.

¶DE DIGNOTIONE differentiarum morbi.

Cap. 12.

COGNITA morbi ſpecie eius differentias cognoſcere medicum oportet, vt quibus perſpectis facilior euadat & certior cauſæ morbificæ cognitio. Hinc fit vt in omni quæ ſuſcipitur de aliqua re inſtitutione, explanationi ſpeciei explicationem differentiarum eius (ſiquidem vllas habuerit eaſque animaduerſione dignas) quotquot ſunt authores methodici proximè ſubiicere ſemper conſueuerint. Dignoſcitur itaq; notis iis quæ ex quatuor enumeratis fontibus manant morbus ſimplex & compoſitus, ſiue ille ſolitarius ſit, & hic comitatus, ſiue ille exiſtat vni⁹ generis, hic vero ex multis generis diuerſi vnam aut varias ſed vicinas partes ſimul infeſtantibus reſultet. Nam & diariam hecticãque febrẽ vt plurimũ ſimplicem eſſe & ſolitariã, putridas febres cõpoſitas ſemper & comitatas nos docet natura rei: & nudam intemperiem calidam aut frigidam atque adeo tertianam febrẽ & quotidianam inter ſimplices, phlegmonem autem pleuritim & ſemitertianam febrem inter compoſitos morbos annumerandam eſſe, natura rei dictat nobis. Ex parte cauſarum vehemens aeris refrigeratio, vt & aquæ aluminoſæ balneum diariam ab obſtructione, ac proinde comitatam, ſolis verò exuſtio ſimplicem eandem eſſe & ſolitariam præſefert: & vbi continui ſolutio cuiquam in carne muſculoſa à re aliqua externa illata eſt, à telo acuto ſimplex vuln⁹, à graui & obtuſo contuſum vulnus, & compoſitum eidem ineſſe ſignificatur. Quòd ad effectus ſpectat vehemens punctio & dolor nec nõ immoderata ſanguinis profuſio in parte vulnerata comitatum vulnus eſſe declarant: abſentia horum ſymptomatum cum facili ægri tollerãtia, illud ſimplex & ſolitarium eſſe arguit. Pulſus omnino celer ſed neque major iuſto neque crebior hora autem vna aut duabus ab aſſumpto cibo ſecundum magnitudinẽ & velocitatem adauctus, hecticam ſimplicem denotat: is vero alternis diebus talis exiſtens qualis eſt pulſus tertianarũ, atque reliquo tempore eum tenorẽ ſeruãs,

Dignotio morbi ſimplicis cõpoſiti atque implicit & conſequentis.

Pleuritis & febris quæ ab phlegmone mẽbranæ conſtãs ſuccingẽtis excitatur ſunt morbi conſequentes.

Dignotio febris hecticæ complicatæ cũ tertiana intermittente.

quem modo diximus, hecticam complicatam esse & compositã cum tertiana febre ostẽdit. Et vt ad quartũ signorum fontem veniamus, non immeritò vulnus aliquod vel simplex & solitarium vel comitatum esse opinabimur, quod aliis simile fuerit, quæ aut solitaria aut comitata doctissimi quique medici esse cẽsuerint. Ac si morborum quorumdam aut simplicium aut cõpositorum tempus ferax esse videatur, probabili valde ratione qui tũ decubuerint, iisdem vel simplicibus vel compositis morbis correptos eos esse aliquis dixerit. Dignotio morbi magni & parui.

Morbos magnos & paruos, Galeno autore, perspectos omnes habent, illos quidem magnitudine symptomatum, hos verò eorũdem paruitate. Huius tamen morborum differentiæ, vt etiam reliquarum, non aliunde quam ex signis antea explicatis repetendam notitiam esse literis prodidit Argenterius. Cap. 4. lib. 3. de signis cap. 11. Apoplexiam enim & febrem ardentem ex ipsa specie magnos esse morbos intelligimus, paruos verò diariam febrem & simplicẽ calidam intemperiem, atque ex ardentibus febribus eam magnam esse rei forma indicat, in qua tum vehementissimus tum acerrimus calor fuerit, & paruam eã quæ & minus ardentem calorem & mitiorẽ habuerit: Quæ febris ardens magna est & quæ parua. forma etiam rei dictante vlcerum magnitudinem, & paruitatem, magna continui solutione, & parua metiuntur chyrurgi. Morbificæ autem causæ siue quantitate siue energia magnę aut paruæ, morborũ magnorũ aut paruorũ notæ esse dicuntur: pars quoque læsa quæ vel princeps est, vel vicina principi, vel sensu exquisito perdita, vel ad actionẽ vitæ necessariam pertinens magnum, in qua vero parte omnia reperiuntur superioribus contraria, hæc paruum morbum indicare solet. Quomodo pars affecta morbũ magnũ efficit & quomodo paruum. Qui pręterea magnis duntaxat iuuãtur præsidiis magni, qui vero paruis etiam remediis possunt euinci, parui morbi iudicari debent. Symptomata morborum tũ numero tum vehementia & magnitudine horrenda & grauia, eos esse magnos attestantur, paruos vero symptomata cõtraria, Eã ob causam difficultas magna

Signa magnæ pleuritidis & paruæ.

respirandi, vehemens tusſis, dolor lateralis punctorius multum vrgens, cum magna & ſiti & corporis iactatione, pleuritidis magnæ teſtimonia ſunt: ſi verò contrarij ſint effectus pleuritidis, tum eam paruam eſſe ex illis ipſis deprehendimus. Qui morbi magnis aut paruis ſimiles fuerint, meritò quidem & eos magnos eſſe, aut paruos omnes judicant. Exquiſitos morbos nothoſque partim ex naturæ integritate, partim ex præſentia omnium accidentium propriorum dignoſci debere aſſerere videtur Galenus: omnino tamen vtrorumque morborum cognitio ex propoſitis ſignorum locis depromenda venit. Siquidem bilioſas febres vt intermittentem tertianam vt tertianam continuam & ardentem, exquiſitas eſſe tum dicimus, cùm & vehementiſsimum & acerrimum & flammeum calorem in eis eſſe agnoſcimus: At ſi in eiſdem febribus obtuſior calor à nobis percipiatur, equidem vt eas eſſe ortas à mixta pituita cum bile, ſic ſpurias & adulteratas eſſe exiſtimabimus. Inſuper ſi eiuſmodi febres omnia ſua tempora celeriter percurrant legitimas, ſim tarde ſpurias & nothas eſſe judicandum. Sic pleuritis cuius tempora vſque adeo producta ſunt vt ad triceſimum quartum diem extendatur, cuiuſmodi Anaxionis pleuritis fuit Epidimiorum 3, ſpuriis morbis & non legitimis annumerari debet: exquiſitis autem & legitimis quæ breuiter ſua finiens tempora decimum quartum diem non tranſcendat. Ex morbis quorum certo humori tribuitur ortus exquiſitos eos teſtantur, quæ ſyncerum illum producunt humorem, ſpurios verò & nothos, quæ non hunc ſolum ſed alios humores ſimul gignunt ac procreant: & quum quiſpiam morbus vicinas aliquot partes adoriri ſolet & infeſtare cuius tamẽ vna ex illis ſedes propria ſit, tum ſi hæc pars afficietur exquiſitus, ſi vero aliqua alia læſa erit nothus & ſpuri⁹ eſſe hic morbus ſignificabitur. Prioris generis ſigna nõ ſolum tumoribus præter naturã, ſed etiam putridis febribus exquiſitis ac nothis deſignandis vtilia ſunt:

Dignotio morbi exquiſiti & nothi.

Cap. 12. lib. 2. de criſibus.

Dignotio febris biliosæ exquiſitæ & nothę

Morbus exquiſitus & ſpurius ex cauſis quomodo dignoſcitur.

pleuritis autem & angina tùm ſyncera tum adulterata, vtriuſque generis notis demonſtrari poteſt. Quod ſi alicuius morbi propria quædam ſint accidentia & effectus, ſi ea omnia ſimul appareant legitimum eũ eſſe arguunt, ſpurium autem ſi eorum quædam adſint & abſint alia, ita & humorem morbificum non iam purũ oſtendere, ſed alterius humoris permixtione adulteratum, aut etiam partis alterius ab ea quæ proprium eſt morbi ſubiectum morem & proprietatem præſeferre videantur. Exquiſitos & ſpurios morbos eos dicere veritati conſentaneum eſt, quos legitimis & nothis propotione reſpondere obſeruauerimus. Notitia velocis morbi & tardi non aliunde quàm ex ſuperius commemoratis ſignis repeti debet. Nam & diarias & bilioſas & ſynnochos febres veloces eſſe ipſa ſpecies indicat, Semitertianam autem atque quotidianas velocitate mediocres, tardas vero tum hecticas febres, tũ fumantes quas Typhodes vocant, tum quartanas. Sed & apoplexiam & anginam & choleram & tetanum veloces morbos eſſe ex ipſa ſpecie dignoſcunt medici, phrenitim autem lethargum pleuritim & peripneumoniam minus veloces, tardos vero hydropem melancholiam empiema tabem. Ex bilioſis febribus quæ & flammeum & acerrimum habuerint calorem celeres, quibus verò ſtupidior calor fuerit, ſuperioribus multo tardiores futuras eas ediſcimus ex forma rei: jam verò his morbis velocitas tribuenda eſt, indicantibus id partibus, in quibus primis diebus conſuetã anticipat horam acceſsio, longitudineque & vehementia ſuperiorem excedit: Qui vero morbi acceſsionem habuerint plane contrariam, in eis agnoſcenda tarditas. Quos autem morbos ſpiritus flaua bilis & ſanguis generant, & eos celeres eſſe oſtendunt: qui à pituita naſcuntur morbi, & à melancholia, ab iiſdem tardi eſſe indicantur. AEſtiuum tempus & vernum, ætaſque iuuenilis celeritatem in morbis præſeferunt, hyemalis conſtitutio & autumnalis, ætaſque ſenilis &

Quomodo ex effectibus dignoſcitur legitimus & noth^ morbus.

Dignotio morbi velocis & tardi.

Quæ ſint febres bilioſæ veloces & quæ tardiores.

Quæ cauſæ veloces & quæ tardos morbos gignunt & indicant.

decrepita tarditatem minantur. Pars deinceps tum nobilis, tum adiacens nobili, tum calidiorem temperiem sortita, tum exquisitum sensum habens, tum subseruiēs eximiæ cuidam & præstanti functioni, si ea lædatur velocem morbum fore denuntiat, tardum verò indicat pars omnis conditionem contrariam nacta. Symptomata morborum veloces aut tardos eos esse arguunt, veloces quidem quæ statim ab initio apparent, quæq; multa & grauia sunt, tardos verò quæ posterius superueniunt, & quæ pauca sunt ac læuia. Quicunq; ad celeres vel tardos morbos accedunt, eos quidem ipsos celeres aut tardos esse existimare licet. Morborum benignitatem malignitatemq; ex casibus superuenientibus dignoscendam esse scribit. Galenus: quamquam ex aliis propositis signis vtraque innotescit. Diariam enim febrē, synochū, & tertianā intermettentē, itemq; phlegmonē & œdema, benignos morbos esse species ipsa testatur, malignos autē lypiriā, & pestilētē febrē, nec nō carcinoma, elephantiasim, & epilepsiā. Quorū autem morborum causa est sanguis vel pituita, eos quidem benignos esse is humor demonstrat: at bilis æruginosæ & atræ contraria ratio est, fortassis etiam bilis flauæ. Benignitatem in morbis & pollicetur & designat ver temperiem retinens naturalem, totusque annus temperatus eam constitutionem habens vt contingentibus signis in astris occidentibus & orientibus, autumnus pluuiis non careat, hyems autem neque clementior neque frigidior sit æquo, in vere denique & æstate tempestiuæ aquæ fiant: Autumnus contra & intemperatus annus, mali moris & difficiles morbos, sæpenumero gignit & indicat. Pars carnosa & sanguinea, totumq; corpus prauis carens humoribus benignitatis, neruosa vero pars & corpus cachexia plenum malignitatis morbi indiciū est. Benigni morbi cēsendi sunt, qui vel mitioribus remediis facile depelluntur, maligni autem qui præsidiis multis, vel etiam fortibus reluctari solent. Accidentia morbi quæ multo seniora

Dignotio morbi benigni & maligni.

Cap 4 lib. 3 de crisibus.

Hæc desumpta sunt ex Hippocrate de aëre locis & aquis.

ſunt quàm pro ratione propriȩ eius eſſentiæ cōueniat, malignitatis ipſius morbi fidem faciunt quàm ampliſſimam: at vero benigni morbi ſigna exiſtunt & facilia & mitia & minimè grauia ſymptomata. Haud abs re benignitatem in morbis tum agnoſcimus vel malignitatem, cum benignos aut malignos morbos contigerit paſsim graſsari. Quæ autem morborum differentiæ poſſunt ſupereſſe (multæ autem ſuperſunt) earum quidem cognitionem hoc loco prtæermittendam eſſe putaui, tū quia plerȩque earum ad curationē nihil faciūt, tum quòd omnes iiſdem ſignis, quibus & differentias ſuperiores, doctiſsimum quemque medicum nullo labore cognoſcere oporteat.

¶ DE COGNITIONE CAVſarum morbi. Cap. 13.

HVMORVM cognitio morbū aliquem procreantium ex colore cutis ex tēpore ex regione ex ætate ex morbo ex propriis cuiuſq; humoris indiciis Galeni autoritate arripiēda eſt: verū tū illi ipſi tū cȩterȩ morborū cauſæ ſignis iis, quȩ ex quatuor propoſitis fontibus oriuntur ſe oſtentant nobis. Cauſæ enim deliteſcentes in corpore, cum toto morbi progreſſu aut naturæ vi aut artis beneficio foras protruduntur, eas quidem ex ipſa ſpecie ſenſibus tunc obuia, dignoſcit medicus. Eam ob cauſam cum febricitanti vel per ſuperiora vel per inferiora excernitur bilis, nō abs re febris orta eſſe abile judicatur, vt etiā à pituita aut melancholia, ſi alterutrum humorem erumpere exireq; contigerit. Dignoſcuntur præterea hoc ſigni genere cauſæ omnes procartarcticæ, ſiue tantum conferant dignotioni eorum quæ curantur, ſiue etiam ad indicationes curatorias pertineant. Quibus enim vulneratis telum remanſerit in aliqua corporis parte, vulneris cauſam manifeſtam habet chyrurgus, inſpecta illius forma: ac ſi vel bubo vel alui profluuium vel

Commenta. in aphoriſ. 2. lib. 1. cap. 80.

Cauſæ deliteſcētes ſunt & antecedētes & coniunctæ.

Cauſæ procartarcticȩ recētes & euidentes ſunt.

vigilia cuiquam dederit occaſionem febris diariæ, tũ ſua ſpeciæ cauſa hæc detegitur, quam inter procatarcticas annumeraſſe Galenum refert Argenterius: & cum quis ægrotauerit ex veneno epoto ita vt ſuperſit aliqua portio veneni, nemo certe cauſæ huius morbi dubiꝰ eſſe poteſt, relicta parte veneni diligẽter perſpecta. A quibus autem generantur quę intus morbum, tũ procreant, tum fouent cauſæ, ab iiſdem indicari ſolẽt. Hinc bilioſi humoris notę ſint, æſtium tẽpus, feruida & ſicca regio, temperamentũ corporis calidũ ſiccum, conſiſtens aut iuuenilis ætas, vita cum labore vigiliis mœroribus ac curis tranſacta, victus parcus rarus & tenuis ciborumq; ac medicamentorum calefacientiũ & ſiccantium vſus. Hinc pituitæ ſigna dicuntur conſtitutio temporis frigida & humida, hyemale tempus, locus humidior, ætas ſeneſcens & puerilis, moles corporis ampla obeſa & frigida, otioſa vita & ſedentaria ſine ſtudiis ac mærore, ſomnus longus profundus & paſtum ſtatim excipiens, victus plenior ac liberalior, largior potus, omniſq; ingluuies & ſatietas. Hinc melancholiæ ſignificationẽ dant autumnalis conſtitutio, regio ac cæli tempeſtas frigida & ſicca inconſtans & inæqualis, inclinans ætas ac ſenectus prima, corporis habitus ſiccus & macilentus, vita triſtis multis curis negotiiſque & contẽplationibus implicita, eſus frequens craſſorum ac terrenorum alimentorũ, vſus vini craſsi rubri aut nigri, omninoq; refrigerans ac ſiccans victus ratio ac diæta. Hinc ſanguinis indicia ſunt aeris clementia qualis vere eſt ac regione temperata, ætas pueritię pubertatis & adoleſcentiæ, quadratum corpus ac temperatum, moderata tempeſtatiuaq; exercitatio, ſomnus mediocris, vita ſine curis & gaudiorum plena, vini laudabilis reliquorumq; boni ſucci ac bene temperatorum ciborum ordinatus vſus, & moderatꝰ. Hinc ſeroſi humoris & aquoſi, hinc flatus prouentum arguunt, illius quidem cõſtitutio aeris & regio humida, ſenilis ætas, vita otioſa tempus hyemale, frigiditas magna

Lib. 1. de cauſis morborum, cap. 8.

Signa bilioſi humoris redũdantis.

Hæc magna ex parte deprompta ſunt ex Fernelio lib. 2. cap. 14. 15. 16. 17 18. & 19.

Signa pituitæ redundantis.

Signa humoris melancholici redundantis.

Signa ſanguinis abundantis.

Signa humoris aquoſi exuperantis.

magna ventriculi, frigida hepatis intemperies, lienis ſcirrhus & obſtructio, ciborũ humidorum vſus ac potus liberalior. Huius vero ætas regio cæliq; conſtitutio frigida ſomnus multus, quieta & otioſa vita, calor totius corporis imbecillus, frigidus ventriculus cruditatibus obnoxius, lien melancholia turgẽs & obſtruct⁹, flatulenti cibi, potus immoderatus, frequens crapula & ingluuies. Nec verò harum duntaxat interiorum cauſarum, ſed & permultarum aliarum eadem & ſigna eſſe poſſunt & cauſæ. Generatur ſiquidẽ maligna qualitas & venenata, febrium peſtilẽtium interior fomes, ſimulq; indicatur, aut multitudine cadauerũ non crematorũ, aut lacuum paludumque ęſtate facta euaporatione, aut ob magnam annonæ caritatem corruptorum ciborum aſsiduo eſu, aut etiam aeris temperatura à naturali habitu ad caliditatem humiditatemq; immodicam conuerſa. Fluxus autem ſanguinis inflammationem in membrana coſtas ſuccigente parientis, vt cauſę ſic notæ eſſe ſolẽt immoderata ſanguinis copia, eiuſq; vel efferueſcentia, vel exagitatio, vel tenuitas, cauſæ denique omnes, quæ ſanguinis fluxionem impetumq; mouent, vna cum lateris imbecillitate parta vel naturali. Internæ cauſæ morborum vt etiam externę, ſi quis de harum cognititione ſollicitus fuerit, ſuis effectibus exploratæ nobis fiũt & perſpectę. Nam & phlegmone moderatum ſanguinem, & eryſipelas eundem tenuem ac bilioſum, & œdema pituitam, & cancer humorem atrabiliarium in vitio eſſe chyrurgis ſuadet ac medicis. Tertianis etiam febribus bilis, quotidianis pituita, quartanis melancholicus humor, ſynochis ſanguis putreſcere, aut certe inflãmari ſignificatur. Apoplexia autem humorem pituitoſum, bilioſum mania, melancholicum atrabilariumq; melãcholia morbus cerebro moleſtum eſſe teſtatur, vt malignã qualitatẽ epilepſia. Peripneumonia verò ſanguinem infeſtare aut bilem præſefert, atque in ea mitior febris grauitas verò pectoris & anguſtia major ſanguinem, febris verò

Signa flatus abundantis.

Signa & cauſę peſtis.

Signa & cauſæ pleuritidis.

Species tumoris peccantẽ humorem arguit.

Species febris morbificũ humorẽ oſtendit.

ardentior pectoris autem angustia & sensus grauitatis minor bilem adesse adhortatur. Hydrops pręterea tum leucophlegmatias, tū ascites serosi humoris & aquosi, tympanites verò flatus redundātis indiciū est: quéadmodum morbus quilibet causę eius, à qua oritur signū existit, si modo illa nō alia atque alia, sed eadē semper & certa fuerit. Atq; vt à morbo ad alios effectus causarum morbi progrediamur, color in cute aparēs nota est exuperantis in corpore humoris: quandoquidem vt ait Galenus color in cute similis efflorescit humorib⁹ contentis nisi intro refluxerint. Quapropter ex pallēte aut flauente cute bilis dignoscitur & ex eadem rubēte sanguis: pituita autē in corpore esse deprehenditur ex albedine cutis, & melācholicus humor ex eiusdē colore fuco vel nigricante. Color etiā in iis quę excernuntur conspicuus humoris molestiam adferentis signum est. Nam in pleuritide & peripneumonia si sputum rubrum appareat sanguinem, si verò pallidum bilem inflammatam esse judicandum, quemadmodum si nigrum melancholicum humorem, pituitosum verò si album. Sunt autem multi alij effectus causarum intus morbos gignentiū, qui & earumdē signa esse possunt. Sic delirum cum risu dominantis sanguinis indicium est, cum ferocitate bilis, & cum sopore pituitæ. Sic rugitus strepitusque flatuum presentiā indicat, vt serosi & aquosi humoris aquæ fluctuātis sonus. Sic oris amaritudo flauæ bilis, salsedo pituitæ salsæ, sapor acidus melancholici humoris, vel certe acidæ pituitæ signum existit. Sic bilis per vniuersum corpus dilatæ nota est rigor, horror melancholici humoris, & frigus pituitosi. Sic deniq; dolor acer ac erodens bilis dominium arguit, pulsans inflammationem sanguinis, grauans frigidorum humorem copiam ac maxime pituitosorū, distendens autem si citra grauitatem fuerit, multitudinem flatum, cum grauitate verò mitiorum humorū exuperantiam. Similitudinē autem dignoscendæ causę morborum procreatrici vtilem congruamque esse, ne

Dignoscuntur humores peccantes ex colore in cute apparente.

Commentario apho. 2. li. 1. aph.

Excretorū color speciem humoris detegit.

Symptomata quædam speciē humoris peccantis arguunt.

vlli quidem vel mediocriter in arte medica versato incognitum esse ac dubium puto. Nam qua tempestate humorem aliquem siue putredine, siue defluxione, siue exagitatione, siue exuperantia, siue aliquo alio modo in aliis atque aliis hominibus procreare morbos constiterit, eodem sane tempore, quos in morbum incidere contigerit, idonea satis & probabili ratione, is humor illis occasionẽ dedisse ægrotãdi censeri debet. Et quibus signis vel nos, vel doctissimi quiq; medici causam aliquam morbum committentem sępenumero perspectam cognitamq; habuerimus, equidẽ id causæ genus in vitio esse, iisdem notis in ęgro aliquo apparentibus, possumus judicare. Quomodo ex similitudine causæ dignoscuntur.

¶DE COGNITIONE PARTIVM affectarum ex natura & causis. Cap. 14.

SIGNORVM genera quatuor sæpius à nobis antea commemorata læsis partibus indicãdis apta & idonea sunt authore Argenterio: quamuis earũ cognitionem eliciendam esse ab excretę partis essentia & magnitudine, à rebus contentis in parte aut illi adnatis, à natura partis actionis læsione & positu eiusdẽ, à proprietate doloris, ab excrementorum qualitate, & à modo excretionis primo de locis affectis libro asserat Galenus. Itaque vt singula quatuor genera percurrentes à natura rei exordiamur, affectam partem esse tum dignoscim⁹, cum vel temperiẽ, vel substantiã, vel cõformationem, vel magnitudinem, vel numerum, vel positionem, vel vnionem læsam esse sensu aliquo percipimus. Si ergo intẽperata aliqua pars esse à nobis sentiatur (quomodo in magnis doloribus capitis calidum illud esse tactu deprehenditur vel frigidum) ea inter affectas partes vno omnium judicio annumeranda venit. Ex ipsa partis substantia clara fit nobis eius læsio, si & proprietatem substantiæ & magnitudinem diligenter obseruemus. Renes si quidem ab excretis

Lib. 2. de signis cap. 26.

Intemperies capitis frigida & calida tactu deprehenditur.

Pars affecta dignoscitur ex proprietate essentiæ & magnitudine.

Apho. 77. lib 4.

carunculis cũ vrina crassa, à furfurosis verò cum simili vrina exeuntibus, vesicam esse affectam colligit Hippocrates. Galenus autem cum tussiendo bronchium aliquod ab ægro expuitur, erosos esse eius pulmones cẽset aut putrentes: idem cum adolescentulum quendam vidisset tunicam crassam & lubricã tussiendo reiicere eam se cõiecisse ait internam esse gutturis partem, quę epiglotida constituit. Ac si per dysenteriam latitudine crassitieq; cõspicua tunica egeratur, ea intestino crasso inhærentis morbi signum est, vt & pulmonis affecti nota existit, haud paruum frustrum vasis per tusses reiectum: ob conformationem vitiatam in plancis quidẽ pedes, & in gibbosis spinã, in varis vero & vatiis crura affecta esse rei anathomicæ periti norunt: ex magnitudine aucta vel diminuta læsum illis caput esse intelligimus, quibus maius aut minus fuerit quam consueta humanæ cõditionis natura ferat. Eodem plane modo linguam eam affectam esse agnoscimus, cuius tanta sit moles quæ ore nõ posit comprehẽdi: & crus illud esse in vitio, quod reliquo corpore grandius fuerit: sic & eam pupillam læsam esse dicimus, quæ angusta facta sit atq; immunita, & totum corpus affectum cuius singulæ partes extenuatæ sint per tabem & consumptæ. Hoc signi genere duce tumor ortus in aliquo corporis loco, eum affectum significat, vt Argẽterio placet: verum si multæ partes sint quæ tumorem recipere queant, cuinam earum insit, figura situ magnitudine & natura, clarum fiet nobis & manifestum. Tumore siquidem in alterutro hypochondrio nobis se offerẽte, si ille figuram oblongã habeat leuiq; & blando tactu percipi posit rectum abdominis musculum, si verò in dextro fuerit circunscribaturque jecoris situ & figura, nec nisi pressũ à nobis deprehendatur hepar: quod si hypochõdrium ocupet sinistrum, ita vt & profundior, sit & durus, & sine sensu, lienisque retineat figuram ac situm, aut in tantam crescat magnitudinem vt vniuersum hypochondrium impleat, lienem affectum esse

Apho. 77. lib. 4.

Lib. 1. de locis affectis.

A magnitudine excretæ mẽbranę vlcerata crassa intestina deprehenduntur

Affecta pars dignoscitur ex varijs ad essentiã partis spectantibus.

putandum est. Ex numero aucto vel imminuto læsum membrum esse dignoscitur; ex aucto quidem oculum in vngue suffusione & albugine, in polypo nasum, renes & vesica in calculo: ex imminuto verò os in euulsione dentis, oculum in deperditione humoris aquei, pedem deniq; & manum in vnius digiti aut multorum ablatione. Ob malam positionem articulos in luxationibus, in epiplocele autem & enterocele peritonæum læsum esse & affectũ norunt chyrurgi: vt ob solutam vnionem partes omnes siue exteriores, siue interiores, quibus illatum vulnus notum fuerit. Vt autẽ ad alterũ signorum fontem veniamus, à quibus causis læduntur corporis partes, illis sane ipsis innotescere possunt. Quocirca calida & humida aeris constitutione, non paucis etiam erectè obãbulantibus, caput affectũ esse suspicamur, fauces vero & reliquas partes respirationi subseruientes frigida & sicca. Et aquis omnis generis vtentibus renes infirmos ac coxendicem indicamus, vt iis magnum splenem qui tum paluſtres, tũ stabiles tum lacustres aquas bibere censueuerũt. Quibus vero tussientibus post magnam contentionem vocis cruentum sputum apparet, iis pulmonum vas aliquot ruptũ esse congruũ est, & pulmones exulceratos illis qui leporis marini carnes deuorarint. Atq; vbi ægros duos sensu & motu repente priuatos esse constiterit, quorum vnus ingurgitauerit se prius vino, alter in frigido aere longam moram fecerit, erit quidem valde probabile illi ventriculum, huic cerebrum læsum esse: proinde illum exonerato per vomitum stomacho, hunc autem idoneis auxiliis repurgato cerebro pristinæ sanitati restituere oportebit. Quoniam autem certam aliquam corporis partem plerique morborum impugnant & lædunt, idcirco ex specie morbi, tanquã ex lædente causa, non raro deuenimus in notitiã partis affectæ. Hoc modo febris tertiana iecur, ventriculum quotidiana, quartana lienem affectum testatur. Hac quoque vna læsionem indicant capitis quidem phre-

Causæ morbi partem affectã indicant.

Ex Hippocrate de aere locis & aquis.

Species morbi partem affectã esse ostendit.

nitis lethargus & apoplexia, aliarum verò partium quotquot illis ipsis addicti morbi sunt, Huc pertinent morborum ipsorum indicia, quæ vt & morbi, affectis locis designandis mirũ in modum possunt conducere. Itaque tum peripeumonia, tum quæ signa eius propria sunt, læsos pulmones attestãtur nobis: fauces verò tũ angina, tũ pathognomonicæ eius notæ. Causæ autẽ iuuantes læsarum offensarumque partium signa sunt obseruatu dignissima. Dolore siquidem exercẽte lumborum regionem enematis flatum discutientibus, non mitescente tantum, sed & penitus enanescente colon intestinum, eodem verò nullis cedente remediis, nisi his quæ calculũ dissoluere possunt ac exturbare, renes affici iudicandum est. Ac in vrinæ supresſione, si catheter in vretræ fundum immitti non posſit, vretram læsam, & in ea carunculam esse suspicandum, præsertim si exulcerata antea fuerit: idem verò internam vesicæ capacitatem ingressus si ex eo retenta vrina eliciatur vesicæ, sin affectus perseuerauerit, vreterum aut renum affectorum indicum erit.

Nõ solum species morbi sed etiã signa eiusdem affectã partẽ indicant.

Causæ iuuantes affectã partem indicant.

¶DE PARTIVM AFFECTARVM dignotione ex effectibus & similitudine. Cap. 15.

EFFECTVS offensam partem concomitãtes, vt actio læsa, vt quæ excernuntur aut retinentur, vt affectus corporis, partis ipsius affectæ notæ esse dicuntur. Itaque & immoderatæ vigiliæ, & somnus grauis aut turbulentus, & desſipiẽtiæ omnes, & totius corporis siue sensus siue motus læsus, affecti cerebri indicia sunt. Appetentia autem & cibi & potus deiectã os vẽtriculi læsum esse indicat, ventriculũ verò ipsum quæ chilificationis noxa est: sanguificationis læsio hepatis affecti nota existit, vt pulsuum mutatio cordis & arteriarum. Sed & omnis actia læsa, à quacumq; parte fieri contingat, eam semper si non per idiopathiam, at

Tria symptomatum genera læsam partem manifestant.

Lęsum esse cerebrũ dignosci tur ab actionibus læsis vt etiã vẽtriculus hepar & cor.

certe per sympathiam affectam esse ostendit. Quodquidem verum esse reperitur tum in partibus munus publicum sortitis, tum in reliquis omnibus quas priuatas dicunt: nam vt pars omnis læsa est & imbecillis, quæ suo defraudatur nutrimento, sic cuiuslibet partis vitiata nutritio, eiusdem affectæ signum est. Nec verò sola actionis læsio, verumetiam læsionis ipsius differentia, quænam pars affecta sit commonefacere nos & potest & debet. Si quidem in laterali inflammatione tensus magis ac durus pulsus membranam costas succingentem, pulsus verò minus tensus ac durus mesopleurios musculos affici demonstrat, vt libro quinto de locis affectis author est Galenus. Et quoniam aliarũ atque aliarum partium affectarum, alia atque alia pulsus mutatio est (suam enim pulmo læsus habet, suam thorax, & suam pleræq; aliæ partes quemadmodum idem Gal. scribit libro quarto de præsagitione ex pulsibus) idcirco ex læsi pulsus differentiis, quę eo loci ab eodẽ recensentur, multas partes affectas, optimo cuiq; medico dignoscerẽ in promptu est: læsæ quoq; respirationis differentiæ, vt plerarumq; aliarum actionum, affectis partibus designandis oportunæ esse reperiuntur. Nam cùm difficilis respiratio multiplex sit, magna ea, qua plurimus spiritus trahitur, & idem efflatur calidus, cor affectũ in eoq; feruidum & æstuãtem calorẽ esse persuadet nobis: magna autem respiratio, qua thorax & scapulæ plurimùm attolluntur, respirationi subseruientia instrumenta angustia labore demonstrat: Rara verò & magna respiratio cerebri affecti nota est, veluti parua respiratio & frequẽs aut imbecillem animalem facultatem, ac proinde læsum cerebrum arguit, aut partes respirationi dicatas dolentes vel impeditas. Dolorem autem, quem inter species lęsarum actionum annumerat Argenterius, dignoscendis affectis partib⁹ conferre, ex his quæ sequuntur planè manifestum est. In primis enim quamcunq; partem infestare dolor videtur eiusdem affectæ indicium est: deinde fixus dolor

Vt actio læsa sic & læsionis differentia partem affectam detegit.

Cap. 3.

Tota fere libro

Ex Variis differentijs læsæ respirationis variæ partes affectę dignoscuntur.

Lib. 1. de symptomatis cap. 3.

Dolor multis modis partes affectas arguit.

in regione lumborum, renis affecti suspitionem monet, vagus verò & huc atque illuc oberrans intestini coli: dolor prçterea eandem lumborum regionem diuexans, si per ilia ad vesicam perueniat renes, sin per medium ventrem exporigatur colum affectum esse ostendit: insuper grauis dolor læsæ partis carnosæ fidem facit, vnde Hippocratis in renem dolor grauis: punctorius verò membranæ affectæ signum est. Quæ autem excernuntur non vno quidem modo, sed partim specie, partim qualitate, partim quantitate, partim loco partim modo, partim tempore, partim ordine affectas partes designare possunt. Specie quidē spiritus efflatus in thoracis vulnere membranā costas succingentē vulneratā insinuat, & in vētris vulneribus chylus egrediēs per vlnus, læsi ventriculi indiciū est, stercus autē intestini, vt excreta vrina per sedis vulnus, vesicæ affectę signū existit. Qualitate tussi reiectus sanguis thoracē aut pulmonem affectum significat, thoracem quidē si crassus grumosus aut nigricans fuerit, pulmonem verò si tenuis floridus ac spumosus, vnde Hippocrates, qui spumosum sanguinem extussiunt iis ex pulmone educitur: ex vulnere autem rubicundus crassiusculusque profluens sanguis venæ, tenuis flauus ac feruidus arterię affectæ nota est: & cum furfurosa quędam in vrinis aparent, siquidem tenues illæ sint, venis ascribēdus est affectus, vesicę autem si crassæ, ex quo illud Hippocratis, quibus cum vrina crassa furfurosa quædam vna exūt, his vesica scabie laborat. Affectos locos aperiri excretorum quantitate cum multarum rerum, tum vnius sanguinis confirmat reiectio: parca enim crueta vomitione vena aliqua vētriculi vel aperta, vel rupta, vel exesa esse significatur: larga vero aut in hepate, aut in vicinis partibus solutione, aliqua continui affectam esse venam coniicimus. Sanguis prætrea magna copia tussi reiectus, læsi in pulmone vasis indiciū est. Siquidē quæ in aspera arteria venæ sunt & arteriæ, quippe angustę & tenues, ne profūdere quidē possunt magnā sanguinis

Lib. 6. de morbis vulgaribus sectio. 1. parti. 6.

Cap. 3.

Excreti species indicat partem affectam.

Dignoscitur pars affecta qualitate excreti.

Apho. 13. lib. 5.

Ex Varijs lib.

Aph. 78 lib. 4.

Excreti quantitas demōstrat partem affectā.

Dolor multis modis partes affectas arguit.

ſanguinis quãtitatẽ : copioſus deniq; mictus ſanguinis offenſas eſſe venas arguit,quę in renes deſinunt,aut ab illis enaſcuntur:quandoquidem qui ex veſica aut vreterib⁹ſanguis prolabitur,is multus eſſe nequit.Cruenta verò mixtio tum mediocris eſt, cùm ex ſphinctere cernicis muſculo profluit ſanguis. Excretionis locus affectę partis ſignum eſt quod hoc aphoriſmo ſatis cõprobatur, Qua parte corporis ſudor ibi morbus. Hoc ſigni gen⁹ familiare eſt chyrurgis nõ ſolũ externas ſed & internas vulneratas partes inueſtigantibus, neq; id iniuria.Nam & vulneratis pulmonibus ſputũ cruentũ educitur, & ſaucium hepar cruentas tum vomitiones tum deiectiones mouet, & vrina ſanguine perfuſa excernitur ex læſo rene ac vulnere affecto. Excernendi modum inquirendis læſis partibus vtilem & aptũ eſſe hinc patet,quòd qui ex vulnerib⁹ profũditur ſanguis, ſi cõtinenter & ęquabiliter profluere videatur venã,ſi inæqualiter & pulſu quodam ac ſaltu atteriam vulneratã indicet.In tuſsi autem & in ſanguinis expuitione nec non in dyſenteria,quanam in parte hæreat affect⁹ excernẽdi modus oſtendit. Nam cum ſcreatu eruitur quod infeſtum eſt ex palato & faucibus manat, cũ tuſſicula ex gutture, cum valida tuſsi ex pulmonibus. Et qui vomitione rejicitur ſanguis è gula aut ventriculo eſt, qui expuitione ſimplici ex gingiuis lingua & palato, qui ſcreatu ex faucibus & gurgulione, qui tuſsiculaex trachœa arteria, qui tuſsi aut ex thorace ſi cum dolore lateris,aut ex pulmonibus ſi citra dolorem. In dyſenteria verò ſi cruor vel pus fœcibus alui exquiſite permiſceatur, ſuperiora inteſtina exulcerata ſunt, ſi verò id purum ecxidat,minimeq; permixtum, & ſeorſum feces alui deſcendant,inferiora. Atque etiã excretionis tempore craſsioranè inteſtina an tenuia vlcus habeant diſcernere licet hoc modo, ſi eroſione infeſtante illico vrgeantur ægri ad excernẽdum quæ craſſiora,ſi non ſtatim ſed aliquo poſt tẽpore, quæ tenuia ſunt, ea vlcere tentata eſſe coniiciendum. Tempore

Excretionis loco affecta pars dignoſcitur.

Apho. 38.lib.4.

Excretionis modus detegit partẽ affectam.

Hęc deſumpta ſunt ex Fernelio lib. 5 de partium morbis. c. 11.

Excretionis temp⁹ declarat partẽ affectam.

excretionis & perseuerentia ita affectum locum dignoscimus in sanguinis expuitione : qui nullo dolore sanguinem tussi reiiciunt per multos dies, ab affectis pulmonibus is regeritur, quibus vero ex superioribus partibus in pulmones & asperam arteriam defluxit sanguis, iisq; quidē aliquot expuitiones tantū cruentæ fiunt. Ordine excretionis laborantem partem deprehendi posse vno aut altero exēplo intelligere licet. Nā in purulentis vrinis si pus primum excernitur penis, si post vrinam vesica, aut aliqua pars ex superioribus vlcere est affecta. Et quoties vna cum pituita aliquid puris reiicimus per nares, pure quidē prius exunte in naribus exulceratio esse debet, eodem post pituitam egrediente in superiore quodam loco. Quæ autem exerementa retinentur in corpore contra naturam, ea vt quæ excernuntur, affectam partem demonstrare solent. Si quidem & vrina suppressa læsionis instrumentorum vrinariorum, & intestinorum feces retentæ, & mēsium suppresio vteri aut primariò aut secundariò affecti nota existit. Affectus corporis, quos in quinque genera distribuit Galenus, læsarum partium notas subministrare possunt ac suggerere. Quapropter in capitis vulneribus cranij inæqualitas affectionis eius indicium, & in malignis tibiarum vlceribus asperitas ossis, læsi eiusdem & carie obsessi nota esse putatur. Huc autem aphorismum hunc Hippocratis referendum puto, & qua parte corporis inest calor aut frigus ibi morbus. Salsedo ore percepta læsi capitis eiusdemq; pituita salsa pleni signum existit, amaritudo verò, flaua bile referti hepatis aut ventriculi nota est, vt ægrotantis cerebri sordes in auribus dulcis : citrinus color in cute apparēs obstructi hepatis testimonium præbet, & niger lenis. In virginibus autem totius cutis albedo vteri obstructione laborātis est signum: circa aures sonitus membranas cerebri esse lęsas testatur vt placet Argenterio : idem perceptus in ventre inferiore intestina laborare denuntiat. Vrinæ

Ordo excretionis partem affectam demonstrat.

Lib. de symptomatum differentijs cap. 5.

Quintuplices affectus corporis detegūt partes affectas.

Apho. 39. lib. 4.

Lib. 2. de signis. cap. 6.

Commenta. in apho. 61. lib. 4.

graueolentiam affectæ vesicæ notam esse author est Galenus. Fœtor quem ipsi percipiunt ægri, læsionis partium earũ signũ est, quę circa nares & os ethmoides sunt. Ex similitudine autem affectas partes licet dignoscere, siue pars aliqua (id quod fit tempestatis occasione vel regionis) in quam plurimis ægris affici lædiq; soleat, siue multis eodem modo ægrotantibus, vno ex iis mortuo & eodem disecto, pars affecta diligenter inquiratur. Si quis enim priore conditione proposita in morbum inciderit, partem lædi solitam offensam illi esse probabili ratione coniicere quis potest: & quem constiterit affectum habere omnino similem, ei partem illam affectam esse putandum cui læsionem inesse docuerit dissectio.

¶DE DIGNOTIONE PARTIS per sympathiam effectæ. Cap. 16.

EX affectis partibus quędam per idiopathiam lęduntur insidente illis morbo: quædam per sympathiam ab ægris aliis partibus communicato eis affectu: Hoc autem illis ipsis contingere solet, siue à socia & congenere parte læsionem aliquam subeant, siue aliquid præter naturam recipiant, quod ab aliis vel missum vel illapsum vel attractum sit, siue aut prohibeantur opificis facultatis influxu, aut materiæ ad agendum necessariæ auxilio destituantur. Huius autem rei cognitio, quæ morborum curationi in primis est vtilis, ex propositis signorum locis & fontibus repetenda venit. Partem igitur per sympathiam læsam esse, eius quidem situs, connexio, genus, temperatura, conformatioq; planum facit nobis ac manifestum. Situs enim & vicinitatis causa, in nephritide & colico dolore ventriculus reni compatitur & colo intestino, indeque nausea & vomitus in ventriculo excitantur: in lythiasi à compuncta à calculo & compressa vesica rectum afficitur intestinum, vicinitatis ergo, atque ex

Pars læditur per idiopathiã & per sympathiam,

Quomodo natura partis læsionem ei⁹ per sympathiam factam ostendit.

ea re vnam ex causis tenesmi colligit Rondeletius : Ob vicinatatem etiam à membrana succingente costas inflammata, & à pulmonum phlegmone incalescit cor: eamque ob causam in peripneumonia & pleuritide generatur febris acuta,& eadem inter horum morborum pathognomonica signa annumeratur. Os ventriculi neruorum communicatione, qui partem aliquam sexti paris constituunt, sua vitia cerebro imperitur, illudq; caro cathalepsi epilepsia incubo & derilio afficit. In febribus ob connexionem cordis, quæ cum per cæcos meatus tum per arterias fit, sitit ventriculus, os amarescit, delirat cerebrum, regio lumborum dolet,totũque corpus non solum calidum,sed & graue & languidum est. Connexionis vi & consensus laborante cerebro partes omnes sensui & motui dicatæ languẽt:quælibet pars suo defraudatur nutrimento vitio hepatis: læso autem corde vniuersi corporis partes franguntur aut labascunt. Et in renis calculo ilia & vesicam, in ischiade tibiam exteriorem ac pedem infestat dolor: cõnexionis & consensus ratione. Generis similitudine neruo cuidam insigni læso compatiuntur qui in toto corpore nerui sunt, vt & spinalis medula & cerebrum, atque ex illius connulsione metuenda, venit totius corporis conuulsio. Affecto diaphragmate vt pote neruoso ac membranoso musculo, cerebri membranæ læduntur similitudinis genere occasione : qua quidem re efficitur, opinione mea, vt diaphragmatis calidores morbos perpetuum videamus concomitari delirium. Quod ad temperamentum attinet, facilè quidem partes calidæ tum admittunt æstum aliarum ac feruorem,tum ad se humores alliciunt, quibus cæteræ partes affliguntur. Hinc partium omnium calidissimũ cor non solum viscerum interiorum phlegmone, verumetiam partium externarum magnis inflammationibus,calorem præter naturam concipere solet: ex eoque febris illa procreatur, quam vulgo symptomaticam vocant. Ob conformationem pattes raræ laxæ &

Quomodo procreatur febris symptomatica.

cauæ compatiuntur ægrotantibus aliis partibus, atque redundantes humores illapsos ex illis vel exturbatos, quàm facillimè recipiunt. Quocirca nobiles partes raris & laxis glandulis suam protinus communicant affectionem, & si quos habuerint infestos humores vt plurimum in eas deponunt. Hoc parotides in capitis morbis, hoc bubones in hepatis affectionibus, hoc denique humore aliquo molesto cordi tumores in axilis medicis omnibus attestantur. Cutis verò raritate sua vt particeps fit interiorum partium affectus, sic partem recipit corruptorum humorum quibus illæ scatent. Vesicam verò intestina & ventriculum tum per sympathiā suas ob cauitatas lędi contingit, cum à superioribus ac vicinis locis humores decurrẽtes admiserint. Quæ autem causæ læsionem inducunt corporis nostri partibus, hæ siue internæ siue externæ sint, affectionis earū per consensum factę, haud contemnendum testimoniū præbẽt. Humores siquidem qui in febribus aut circa viscera aut in vasis maioribus putrent, vaporibus sursum elatis caput feriunt per consensum, in eo tum auriū tinnitum tū cephalgiam tum vigilias tum delirium procreantes: sanguis verò cum extra venas corrumpitur os ventriculi cardiogmo & deliquio animi cor afficit: vt semen ac sanguis menstrius putrens in vtero non solum ventriculum, sed & diaphragma & cerebrum aliis atque aliis lacessit modis. Hinc multa & grauia sympthomata histerico affectu laborantibus mulieribus accidere quotidie videmus: & atra bilis circa lienem congesta tum ventriculum lædit vnde flatus multi & ructus fiunt, tum cor vnde palpitatio, tum cerebrum vnde deprauatio imaginationis. In homine autem aphono & crurum resolutionem patiente (vt causarum externarum vnum aut alterum exemplū in mediū proferam) quod ab alto ceciderit dorsi initium in terram illidens, laringis musculos & crura per consensum spinalis medulæ affecta esse cognouit galenus: & in altero cutim capitis cui læsio sensus obti-

Causæ morbificæ partes per sympathiā læsas ostendunt.

Causæ externæ arguunt læsas esse partes per consensum.

Cap. 4. lib. 4. de de locis affectis

gerat, per ſympathiam primarum ſpinæ vertebrarum læſam eſſe idem deprehendit, ex ceruice vehementer refrigerata palij occaſione à multa pluuia in itinere oborta madefacti. Effectus autem læſionem partium cõſequẽtes per ſympathiam affectas eas eſſe apertè ſatis indicare valent. Nam in quibus partibus morboſa ſymptomata non primo quidem ſed poſtea comparẽt, illaq; ipſa læuiora ſunt & inſtabilia, ita vt ſæpius euaneſcant, eas per conſenſum læſas eſſe nullo modo dubitandum. Quamobrem ſi in epilepſia palpitatio turbatio ac eroſio ventriculi acceſsionem præcedere videantur, ſine vlla præſentione ſymptomatum grauiũ in capite, cerebrum per conſenſum ventriculi affectũ, cognoſcendum nobis relinquent. Et in quibus acutis febribus delirium leuius eſt, ac per interualla ſole repetere, caput per ſympathiam inferiorum partium læſum eſſe illud ipſum oſtendit. In ſuffuſione autem oculos per conſenſum ventriculi offenſos eſſe declarat intermittens viſorum occurſatio, maxime ſi dolente ore ventriculi eam tum adeſſe, tum inualeſcere contigerit. Omnino verò in quacumque parte non ſolum apparent ſed & cõquieſcunt accidentia quædam morboſa, quòd pri⁹ irritata affectaq; fuerit aliqua alia pars & remiſſa irritatione conquieuerit, per conſenſum alterius læſam illam eſſe affirmãdum certò eſt. Ex ſimilitudine autem rei propoſitæ cognitionem aſſequi nos poſſe ex Fernelio intelligimus. Is enim in morbo comitiali aperto eorũ qui è viuis diceſſerant capite, aliâs per cerebri cõſenſum abceſſu affecti, aliâs per ſympathiam corruptæ meningis portionis ſummo dolore caluæ adhærentis, ventriculos cerebri (tetro vapore ex affectis locis in eos penetrante) læſos eſſe cognouit.

Partes affectæ per ſympathiã dignoſcuntur ab effectibus.

Lib. 5. de partiũ morbis. cap. 3.

¶ DE DIGNOTIONE temporum morbi.

Cap. 17.

MORBORVM partes ac tempora ex morbis ipsis, ex causis morborum euidentibus & superuenie͞tibus symptomatis nobis innotescere posse author est Hippocrates: si tamen iisdem signis dignoscenda sint præsentia, quibus ipsa futura prænoscere oporteat: & si tum vigorem tum reliqua te͞pora idem percipiendi cognoscendique modus admittendus sit. Sic enim ille scribit accessiones verò & constitutiones morborum indicabu͞t tum morbi ipsi, tum tempora anni, tum periodorum proportionis inter se obseruatio, siue ea quotidie, siue alternis, siue majore interuallo fiant. Sed & ex iis quæ postea apparent indicia sumuntur, veluti in pleuritide sputum si statim initio appareat, breuem fore denu͞ciat, si posterius co͞spiciatur longam. Quinetiam vrinæ, alui feces & sudores iudicatu faciles aut difficiles, & breues ac lo͞gos morbos fore, cum superueniunt, demonstra͞t. At vero non tantum ex signis enumeratis ab Hippocrate sed & ex aliis omnibus desumendam esse eorum ipsorum dignotionem Arge͞terio placet. Primum enim quorum morboru͞ sensibus nostris perspicua forma est, eorum partes nullo labore dignosci possunt ex illius obseruatione. Neminem enim latere potest tumores præter naturam externam aliquam partem obsidentes esse in principio, qui in ea parte non intemperiem solum, sed & magnitudinem excedentem cum latenti solutione continui sensu perceperit, lædentem quidem eius fu͞ctiones nondum tamen manifestè crescentem. Notum est deinceps tumores ipsos esse in augmento, si euide͞ter crescunt quæ proposita vitia sunt essentiam tumorum præter naturam constituentia: ac si eandem vehementiam à summo incremento relictam ipsa retineant esse in vigore: in declinatione autem si remittantur, deponantque quam summam vehementiam habuerint ac magnitudinem. Haud dissimili modo principium in febre agnoscunt medici, calore præter naturam infestante totum corpus, & eum tenorem seruante, quem

Apho. 12. lib. 1.

Lib de morboru͞ temporibus cap. 9.

Morboru͞ tempora dignoscu͞tur ab coru͞ forma si illa sub sensum cadat.

Dignotio temporu͞ morbi ex forma.

nactus est ab initio, absque auctione manifesta, ipsam vero augeri eodem calore euidenter crescente, vt & vigere perseuerante illo in summo sua vehementia, & declinare vehementiam huiusmodi ac magnitudinem deserente. Ad naturam rei pertinet temporum morbi cognoscendorum ratio ex periodorum proportionis inter se obseruatione petita, cuius superiore aphorismo meminit Hippocrates: verum illi in his tantū morbis locus est, qui exacerbationes ac remissiones habēt, & ex Galeni præceptione partim in hora inuasionis illa consistit, partim in accesionū longitudine ac vehementia. Causas autem morborum indicandis eorum temporibus vtiles & idoneas esse ex eo clarum ac manifestum est: quod si humor quispiam in partem aliquam fluere incipiat & eandem infestare, ita vt iam lædatur eius actio, tumoris principium indicet, augmētum verò si copiosius ac largius fluens vim exerat majorem, cum autem retinet quàm maximā molem fecit quasque summas habet vires status signum existit, declinationis verò cum viribus & copia deficit. Sed & Galenus libri de totius morbi tēporibus capite tertio inflammationis partes ex causarum inspectione vt distinguendas reliquit, sic sane dignoscendas præbet: vnde eodem authore principiū eius agnoscendum est, totius sanguinei humoris in partem influxu, incremētum autem non jam fluente sanguine sed eodem putrente, statum verò illo abeunte & degenerāte in pus, humore autem huiusmodi digesto vel ex eo confecto pure declinationē. Iam vero hoc signi genus non solū in tumoribus præter naturam, sed & in aliis morbis, quippe rei propositæ haud incommodum, diligenter considerandum est. Quæcunque enim morbum aliquem committunt gignuntque causæ, eæ si agere incipiant initium, si intendant actionem augmentum, si vim suam agendi maximam retineant vigorem, si remittant eandem declinationem eius ob oculos ponūt. Morborum euentus siue sint corporis affectus, siue actiones

Commentario in predictū aphorismum.

Causę morborū indicāt eorum tempora.

Dignotio temporū phlegmones.

actiones læsæ, siue ea quæ excernūtur, eorum tempora designare possunt Argenterij opinione. Nam vt primas duas symptomatum species breuiter attingamus, cum & cutis & quod in oculis albū est colore pallido incipit suffundi tū significari icteri principium Argēterius affirmat, augmentum verò cū intentior fit calor is pallidus, vt cum totum oculi album in eum colorem versum est statum, declinationem autem cum pallor remittitur ac euanescit. Et leuem functionū læsionem principij morborum notam esse is author asserit, læsionem majorem augmenti, status vero læsionem maximam certo tempore perseuerantem, remissam demum & imminutam declinationis. Ex his quę excernuntur morborum tempora dignoscenda esse cum varis in libris tum multorum morborum exemplo confirmat Galenus. Is siquidem libro primo de crisibus in laterum ac pulmonum morbis principij signum esse contendit liquidum sputum omnisq; concoctionis expers, sputum paucum & aliquantulum concoctum incrementi, multum autem absolutam concoctionem habens vigoris, declinationis vero tum paucum tum exquisitè & perfectè concoctum. Vlceris indicari principium tenui sanie aquosa & cruda libro de totius morbi temporibus Gal. scribit, eadem pauca & crassiore augmentum, icore autem jam in pus conuerso statum & declinationem, sed illum teuui, & hanc tum crasioore, tum magis albo, tum copia minore: qui tamē modus detegendorum vlceris temporum nullo modo ab Argenterio comprobatur: in lipitudine etiam, & in fluxionibus quæ à cerebro per palatum & nares fiunt notitia temporum ab eo ipso loco eruenda venit, eodem authore Galeno. In putridis autem febribus citra partis alicuius inflammationem obortis, inspecta vrinarum varietate singula tempora dignoscimus, cum earum cruditate principium, augmentum inchoata concoctione, perfecta ea & exquisita vigor, declinatio verò eadem absoluta cum parciore humorum excre-

Lib. de morbi temporib⁹. ca. 6

Effectus morborum detegunt eorum tēpora.

Ibidem.

Ibidem.

Dignoscuntur morborum tempora ab excretis

cap. 18.

Cap. 3.

Lib. de morborum temporib⁹ cap. 9.

Ibidem.

Inspectione vrinæ tēpora febris putridę dignoscuntur.

Præfato loco.

tione, nostris omnium oculis eluceat. Ex similitudine autem hauriẽdam esse tẽporum morbi dignotionem arctè tenet Argenterius, neq; id immerito. Qui enim intellexerit quæ accidentia putridæ febris principio adesse solent, illis sane apparentibus in ægro aliquo putrida febre laborante, eam in principio esse optimo iure is dixerit: quod quidem de aliis tribus febrium putridarum temporibus planè judicandum. Atq; cum ex ipsis temporibus quædam vniuersalia sint, & quædã particularia, equidem quibus ex signis cognoscenda illa hactenus docuimus ex iisdem & horum notitiam depromendam persuasum omnibus esse velim. Hoc mehercule vel vno exemplo ad rei naturam pertinẽte, intelligere quilibet potest. Initium enim febrilis accessionis omni calore toto ex corpore ad cor & thoracem confluente manifestat se nobis, incrementum verò ad externas, corporis partes se illo expendente, status autem toto corpore æqualiter ab eodem occupato, vt declinatio calore ei qui initij proprius est contrarium motum habente.

Hæc scripsit Galenus commentario 1. in librum de vict. ratione particula. 46.

¶QVA METHODO VTENDVM sit in omni dignotione morbi. Cap. 18.

IN explicandis signis, quibus morbi forma dignoscitur, non solum singula quatuor genera, sed & vniuscuiusque generis species singulas proposuimus, in signis autem iis tradendis, quibus reliqua innotescunt ad morbi dignotionem pertinentia, ipsa quidem genera quatuor attigimus, species verò omnes non attigimus: neq; enim id fieri potuit, nisi longa oratione multorum eorumque doctorum virorum naturæ plane molesta, & illud ipsum ex his quæ proposita sunt, optimo cuiq; medico cognitu facile est. Itaque in paranda morbi dignotione siue formam, siue differentias, siue affectos locos, siue causas alias, siue partes ac

tempora inuestigare quis velit, ei quidem singulorum generum singulæ species percurandæ sunt, ac semper ea tenenda seruandaq; methodus, quæ ex Argenterij opinione, capite vndecimo à nobis est exposita: quare illinc assumere oportet quę ad hunc locũ pertinebunt.

¶QVOD DIGNOTIO MORBORVM ad curandum vtilis sit eaq; tota posita sit in eorumdem specie differentijs causis ac temporibus dignoscendis Cap. 19.

ABSOLVIMVS paucis institutam hoc primo libro de morborum cognitione necessariam in primis & generalem methodum, in eaq; tradenda nostro munere perfuncti esse videmur, nisi fortè plures rationes desiderare quis velit, quibus notitiam morborum ad curandum vtilem, & hanc ipsam non solùm eorumdem specie differentiis causis & temporibus dignoscendis parari, sed & in his totam positam esse doceamus. Itaq; vt priorem capitis, partem aggrediamur, quotquot medici curandis morbis necessarias indicationes admittunt (nunc enim persequi lubet quod initio positum fuit argumentum) ij sane si sibi ipsi cõsentiant, præceptisq; ac theorematis logicis vincatur, nullis morbis nisi cognitis remedia præscribi posse fateantur necesse est. Nam cum omnium huiusmodi medicorum sententia, si non omnes at certè primas curatrices indicationes ab ipso affectu contra naturam desumere nos oporteat: quod autem vel mẽtem vel sensus nostros latet, id nobis neque signum esse alterius queat, neque vllius rei indicationes præbere (siquidẽ à præcognitis ad incognita cognitio nostra progreditur, non contra) vix ac ne vix quidẽ fieri potest, vt qui morbus nobis incognitus sit, vllam ei dictantibus indicationibus instituamus curationem. Neque enim ignoratis primis indicationibus, cæteræ

omnes quæ eas sequuntur, sub cognitionē nostram cadere cōsueuerunt: vt pote eorum natura quæ ad aliud referuntur, ac docendi methodo id prohibente. Quod si diuersorum morborum diuersa remedia sint (esse autem omnes omnium sectarum medici sponte sua fatentur) equidem vt detegenda est morborum diuersitas, quò decernātur illis auxilia diuersa, sic & idcirco dignoscenda venit eorum diuersa natura. Hæc enim vna est à qua vel iidem, vel diuersi morbi, & sunt & dicuntur. Iam vero neque Hippocrates, neque Galenus, neque multi alij excellentes medici, tantū operæ curæque posuissent in inuestiganda morborum cognitione & aperienda, nisi ipsam ad eorū curationē pertinere sibi ipsis persuasissent: cū præsertim medicorū omnium consensu, finis eorum quæ ad medicinam spectant, extra contemplationem sit: ipsa vero morborum cognitio non nisi multo labore paretur, nec quicquam vtilitatis in se habeat ac voluptatis. Multa autem alia argumenta rationesque in rei propositæ confirmationem lubens proponerem, sed certè in eorum errorem incidere viderer, qui in re non necessaria vtūtur testibus nō necessariis. Quare priore capitis parte explicata, ad posteriorem pertractandam orationem nostram transferamus. Primum igitur qui vel ex professo notitiam morborum enucleare voluerunt ac de ea perscribere, eorum sane pręcepta omnia partim speciem morborum enudant, partim differentias enumerant atque euoluūt, partim causas explicant siue efficientes siue quæ subiecti rationem sortiuntur, partim tempora & partes ob oculos ponunt: nec verò quicquam ab illis præceptum esse reperias, quod ad aliquod horum quatuor aptè commodèq; referre non posis. Deinde cum scopus totius curationis morbus esse dicatur, vt cuius ratione de inueniendis remediis iisque vsurpandis deliberatio fiant (is enim primum si Galeno credimus, nostri corporis actiones lædit, ob idque manat ab eo prima curandi occasio) morbus

Lib. 1. de differentijs sympto. cap. 1.

equidem dignoſcendus erit medico curationem inſtituere cupienti, quo quidem cognito ad differentiarum inueſtigationem & cauſarum conuertat ſe neceſſe eſt: quandoquidem aliâs ſixplex, & aliâs compoſitus morbus ægrum infeſtat, quemadmodum aliâs ſolitarius eſt morbus, vt cum Galeno loquar & Fernelio, aliâs præſentes annexas & ſibi aſsidentes cauſas habet, vnde diuerſa medendi ratio. Sed & temporum morbi expetenda notitia, vt quæ ipſius morbi & cauſarum eius, diuerſum motum diuerſam quidem medendi legem iudicantem, manifeſtum nobis ac perſpectum reddat. Nec verò negligenda venit medētibus nobis partium affectarum cognitio: vis enim illis inſita curationis ipſius præcipua & primaria cauſa eſt: iuxta illud Hippocratis, Natura eſt morborum medica. Quocirca vt morbum cum ſuis cauſis ſuſcepta curatione aufferre nos decet, ſic & ipſarum partium robur tueri ac conſeruare. Ex quibus quidem perſpicuum ſatis eſt, tum ſpeciem morborum, tum eorum differentias, tum efficientes cauſas & ſuſcipientes, tum partes ac tempora ad bene curandum medicum cognoſcere oportere. illis autem cognitis eundem (prænotione ſemper obſeruata) ad remediorũ inuētionem paratiſsimum eſſe, omniq; ex parte inſtructũ hoc modo intelligi poteſt. Curatio morborum partim rebus cōtra naturā partim rebus naturalibus, partim non naturalibus tota dirigi poteſt & debet. Quod tum ſententia Galeni ex libro nono methodi medendi decerpta, tũ fere omni omniũ medicorum opinione verum eſſe comprobatur. Cum itaq; explorantis his tribus rerũ generibus in prōptu ſit eorum omnium cognitio, quæ ad curandum ſatis ſuperq; ſunt, non dubium certe eſt quin intellectis his quatuor quæ propoſuimus, ea omnia de morbo perſpecta ſint, quę eiuſdem curationi poſſunt conducere. Res ſiquidē cōtra naturā ad curationē pertinentes ipſi morbi ſunt & eorum cauſæ: neq; enim ſymptoma niſi vt cauſa morbi, curationem vllam expetit. Res autem

Lib. 6 de morbis vulgaribus.

Cap. 14.

naturales vt ad curationem referuntur, partium affectarum naturam subeunt, vt non naturales causarum earum quas euidentes & procatarcticas Galenus vocat. Est igitur perfecta absolutaq; proposita à nobis dignotio morbi, quæ harũ quatuor rerum, quas sæpius cõmemorauimus inuestigatione contineatur & explicatione. Quod si quis de huiusmodi cognitione subtilius differens non solum hæc quatuor, sed & pleraq; alia ad eam ipsam pertinere dicat, ei profectò responsum esse velim, hæc comprehendi sub illis quatuor, aut certe iisdem signis eademq; via ac methodo cum illis posse dignosci. Nunc superest vt generali morborum dignotioni prægnotionem eorũ subiiciamus generalẽ: quod quidem libro proximo, quem breui edemus in lucem (annuente Deo) præstare decreuimus.

FINIS.

¶RES NOTATV DIGNAE QVAS singulis captibus attingit author.

CAP. I.

EX medicinæ partibus aliæ ad thoriam, aliæ ad praxim attinent.

Partes medicinæ addictæ praxi primum trifariam diuiduntur, deinceps variè subdiuiduntur.

Partes curatrices cæteris aliis tum ad theoriam tum ad praxin spectantibus excellentiores esse dicuntur.

Ex Hipocratis sententia sola curatione medicina definitur.

Tria constituuntur morborum genera penes eorum finem.

In tribus morborum generibus quid prestare medicum opporteat.

CAP. 2.

AEgri conualescere possunt citra medicum, citra medicinam non possunt.

Remedia non prosunt nisi legitimè vsurpata.

Legitimus remediorum vsus ignaro populo incognitus est, &soli perito medico cognitus.

Morbus curari non potest legitimè nisi prius cognit⁹ fuerit.

In instituenda legitima curatione septem sunt agendi scopi.

Qui medicus sufficit ac cognoscendum, sufficit ad sanandũ.

Quod artis coniecturale est id maximè in morborũ cognitione positum est qui vbi cogniti sunt certo modo curationem indicant.

CAP. 3.

Notitia morborum ob id expetenda vt eorum curatio fiat.

Medico morbum curare volenti primium omnium species eius consideranda venit.

Secundo loco inuestigandæ sunt morbi differentiæ.

Tertio loco inquirendæ sunt causæ morbi siue efficientes siue suscipientes.

Causæ morbi suscipientes partes affectæ vulgo dicuntur.

Vltimo loco tempora morbi consideranda sunt.

Cap. 4.

Quibus signis ex Galeno parãda sit speciei morbi cognitio.

Quibus signis dignoscendi sint morbi ex Hippocrate.

Quatuor sunt signorum prima genera constituta ab Argenterio ex quibus eruenda est morborum notitia.

Species primi generis signorum.

Specis secundi generis.

Species tertij.

Species quarti.

Cap. 5.

Species morbi dignoscitur ex ipsius forma, si illa ipsa sub sensum cadat.

Species febrium ex propria forma secundum Galenum dignoscendæ sunt.

Vulnera dignoscuntur ex propria forma.

Signa febris putridæ, tertianis, quotidianis,& quartanis dignoscendis conferunt.

Signa luxationis generaliter acceptæ singulis eius formis dignoscendis conducunt.

Differentiæ dum morbũ vnum differre faciunt ab alio, eundem etiam detegunt.

Vulnera partium internarum differentiis dignoscuntur ad rectum & obliquum & ad profundum attinentibus.

Quia varij morbi, varias habent temporum circunstantias ideo ex obseruatione temporum morbi eiusdem species detegitur.

Compositos morbos & implicitos ex partibus cognoscim⁹ si modo nomen partis attribuatur singulis morbis ex quibus illi componuntur & implicantur.

Arenularum mictu calculus dignoscitur.

Cap. 6.

Quibus causis morborum materia generatur ac commouetur, iisdem ipsis morbi dignoscuntur.
A causis iuuantibus & lędentibus paratur morborū notitia.
Species morbi dignoscitur obseruatione causæ quæ materia à qua dicitur.
Materia in qua, quæ subiectum est morbi, annumeratur inter signa quibus dignoscitur morbus.

Cap. 7.

Obseruatio læsionis actionum inuestigationem morborum facilem reddit.
Apoplexia, paralysis, vertigo, tremor, conuulsio, epilepsia, & incubus dignoscuntur, obseruata motus & sensus læsionis differentia.
Intéperies cordis innotescit læsionis pulsuū obseruatione.
Multa signa pleuritidis pertinent ad actionum læsionem.
Species actionis læsæ, speciē morbi consequitur, & indicat.

Cap. 8.

Obseruatione consistentiæ, quantitatis, qualitatis, & contentorum vrinæ multorum morborū notitia cōparatur.
Multarum partium morbis dignoscendis ex Fernelio vrinæ inspectio confert.
Lyenteria, cęliaca affectio, diarrhœa, hæmorrhoides, & dysenteria dignoscuntur obseruatione eorū quæ per aluum egeruntur.
Vulnera & vlcera dignoscuntur ab excretis.
Quæ retenta sunt contra naturam morborum dignotioni prosunt.

Cap. 9.

Biliosa febris & synochos dignoscūtur ab affectu corporis.
Febris tabida vel populo innotescit, obseruatis corporis affectibus.

Vnaquęque hydropis species dignoscitur affectuum corporis consideratione.

Plerique morbi dignoscuntur à medicis inspectis corporis affectibus.

Signa cuiuslibet hernię magna ex parte ad affectus corporis referuntur.

CAP. 10.

Ex Galeno similitudo magnam vim habet ad parandã morborum notitiam.

Quoties speciem aliquam febris inuestigam⁹ obseruare debemus an ea ipsa tum temporis multi ægrotantes corripiantur.

Similitudo in syndrome posita empiricis & populo familiaris est.

Sola similitudine vtuntur medici in dignoscendis morbis qui signa ab authoribus conscripta solum referunt.

CAP. 11.

In paranda morborum cognitione à signis omnium maximis semper incipiendum.

Vbi repertæ sunt propriæ, ac certissimæ morborum notæ superfluum est alia signa recensere.

Signum vnum proprium esse potest, certissimum vnum vix esse potest, sed duo vel plura propria simul iuncta certissima sunt.

In primo signorũ genere propria signa passim reperiuntur, in secundo, & tertio aliquando, in quarto communia tantum signa sunt.

Enumerantur certissima signa febris ardentis, phrenitidis, pleuritidis, peripneumoniæ, phlegmones, & œdematis.

CAP. 12.

Cognitioni speciei morbi succedit cognitio differentiarum eius.

Quibus ſignis dignoſcitur morbi ſpecies iiſdẽ morbus ſimplex & compoſitus dignoſci debent.

Morbi magni & parui ſignis his innoteſcũt, quæ ex quatuor propoſitis fontibus hauriuntur.

Cognitio exquiſitorum morborum & nothorum paratur commemoratis quatuor ſignorum generibus.

Notitia velocis & tardi morbi non aliunde quàm ex propoſitis 4. ſignorum generibus eruitur.

Benigni morbi & maligni dignoſcuntur à medicis ſignis his quæ pertinent ad 4. propoſita genera.

Cap. 13.

Interiores cauſæ morborum ſua ſpecie & forma dignoſcuntur à medicis dũ vel arte, vel naturę vi foras propellũtur.

Cauſæ euidentes & procartarcticæ ſua forma medicis in cognitionem veniunt.

Quæ cauſæ intus morbos gignunt & fouent dignoſcuntur cauſis his euidentibus à quibus generantur.

Cauſæ morborum ſiue externæ ſiue internæ ſuis effectibus perſpicuæ fiunt.

Cauſæ morbi obſeruata ſimilitudine ſub cognitionem noſtram cadunt.

Cap. 14.

Quibus ſignis partes affectæ dignoſcuntur ex Galeno, & quibus ex Argenterio.

Partes affectas eſſe cognoſcimus cum eorum temperiem, ſubſtantiam, conformationem, magnitudinem, numerum, poſitionem, vnionem læſam eſſe ſenſu percipimus.

A quibus cauſis læduntur corporis partes, ab iiſdem læſas eas eſſe dignoſcimus.

Cap. 15.

Effectus læſionem partis concomitantes notæ eſſe ſolent partis ipſius affectæ.

Omnis actio læsa à quacunque parte fiat eam læsam esse ostendit.

Non sola actionis lęsio, sed etiam læsionis ipsius differentia partem affectam esse detegit.

Dolor affectis partibus indicandis variis modis confert.

Quæ excernũtur à corpore præter naturam ea multis modis partes affectas esse indicant.

Affectus corporis quintuplici genere distincti læsarum partium notas subministrant.

Cap. 16.

Quot modis læduntur partes per sympathiam.

Partem læsam esse per sympathiam eius situs, connexio, genus, temperies & conformatio ostendit.

Quæ causæ læsionem inducunt corporis nostri partibus eæ affectionis earum per consensum factæ notæ sunt.

Effectus læsionem partium consequentes per sympathiam eas affectas esse indicare possunt.

Similitudo cõfert indicãdis partibus per sympathiã affectis.

Cap. 17.

Quibus signis tempora morbi dignoscuntur secũdum Hippocratem.

Quorum morborum sensibus nostris perspicua forma est eorum tempora dignosci possunt ex illius inspectione.

Causæ morborum indicandis eorum tẽporibus vtiles sunt.

Effectus morborum eorum tempora indicare solent ex Argenterio.

Ex similitudine haurienda est temporum morbi dignotio.

Cap. 18.

In dignoscendis his omnibus quæ ad dignotionem morbi pertinẽt singulorum generum signorum singulæ species perquirendæ sunt, obseruata ea methodo quæ cap. 11. descripta est.

Qui in curandis morbis indicationes admittunt, fatentur quidem dignoſcendũ eſſe morbũ vt eum curare poſsint.

Si diuerſorum morborum diuerſa remedia ſunt dignotio morbi eiuſdem curationi neceſſaria cenſenda eſt.

Vt quis morbum aliquem legitime curare poſsit eius ſpeciem, differentias, cauſas efficientes, affectas partes & tempora dignoſcat oportet.

Qui cognouit ſpeciem morbi, differentias eius, cauſaſque efficientes & ſuſcipiẽtes, ac tempora ea omnia de morbo cognouit quæ ad eum curandum ſufficiunt.

FINIS.

ERRATA SIC CORRIGITO.

Pag. 1. epiſtolæ, linea vlt. lege incenduntur. Pag. 2. linea 25. lege facietis. Pag. 1. præfationis, linea 13. lege diſtantia. Pag. eadẽ li. 27. lege craſsitie. Nono carmine, lege inuenio. Pag. 3. li. penultima, lege ſanationi. Pag. 4. li. 19. lege empirici. Pag. 6. li. 4. lege quot. Pag. 7. li. 10. lege ſit,. Pag. 12. li. 10. lege quotidianam, & in annotatione proxima, lege affectuum. Pag. ead. li. 22. lege aliis. Pag. 14. li. 9. lege quartanis. Pag. ead. li. vlt. lege medicus. Pag. 19. li. 1. lege fœtidam prefefert. Pag. ead. li. 2. lege ſic. Pag. ead. li. 26. lege adferatque Pag. ead. li. 33. lege rudi &. Pag. 20. li. 8. lege nigricãs. Pag. ead. li. 12. lege leucophlegmatiam. Pag. ead. li. 16. lege conuertit. Pag. ead. li. 21. lege hydropiſis. Pag. 21. li. 8. lege inediam. Pag. 22. li. 10. lege indagandis. Pag. ead. li. 21. lege lypothimia. Pag. 23. li. vlt. lege Hæc. Pag. 24. li. 7. lege Argenterij. Pag. ead. li. 26. lege comitantur. Pag. 25. li 5. lege primo. Pag. ead. li. 9. lege quædam. Pag. ead. li. 18. lege peruium. Pag. ead. li. 25. lege phlegmone. Pag. 26. li. 33. lege crebrior. Pag. 27. li. 29. lege prædita. Pag. 29. li. 6. lege ita vt. Pag. 30. li. 16. lege intermittentem.

Pagi. eadem li. vlti. lege feuiora. Pag. 32. li. 2. lege specie. Pag.ead. li.9. lege sunt, æstiuum. Pag.ead. li.31. lege tempestiuaque. Pag.34. li.23. lege delirium. Pag.ead. li.29. lege delatæ. Pag.ead. li.33. lege humorum. Pag.ead. li.35. lege flatuum. Pag.36. li.11. lege frustum. Pag. ead. li.22. lege imminuta. Pag. 37. li.18. lege coxendicem. Pag. ead. li.19. lege palustres. Pag.ead. li.22. lege aliquod. Pag.ead. li.vlt. lege via. Pag.38. li. penulti. lege actio. Pag.39. in annotatione lege toto. Pag.40. li.15. lege vulnus. Pag.ead. li.25. lege apparent. Pag.41. li.6. lege ceruicis. Pag.ead. li. 29. lege fæcibus. Pag. ead. li.31. lege excidat. Pag.42. li.33. lege lienis. Pag.43. li.8. lege dissecto. Pag.ead. li.16. lege affectæ. Pag. 44. li.2. lege vicinitatem. Pag.ead. li.8. lege impertitur. Pag.ead. li.9. lege delirio. Pag.ead. li.26. lege generis. Pag.45. li.13. lege cauitates. Pag.ead. li.21. lege cephalalgiam. Pag.ead. li.23. lege animi. Pag.ead. li. 24. lege menstruus. Pag.46. li.15. lege solet. Pag.48. li.3. lege summo. Pag.49. li.6. lege color. Pag.ead. li.25. lege ichore. Pag.ead. li.29. lege lippitudine. Pag 51. li.2. lege percurrãdæ. Pag.52. li.26. lege præscribere. Pag.ead. li.35. lege fiat. Pag.53. li.4. lege simplex. Pag.ead. li.11. lege indicantem. Pag. 54. li.13. lege prenotionem. Pag.1. indicis. li.2. lege capitibus. Pag.ead. li.4. lege theoriam. Pag. ead. li.22. lege ad.